

© by Biblioteca Apostolica Vaticana



BARB. y XII. 107. INT. 4

## TERENTIA

NVS DIALOGVS VL

TRA OMNEM FESTIVI-

TATEM VRBA-

NISSIMVS.

*Authore Gaudentio Merula Cive Nouariensi.**AD Nobilissimum Ioannem Baptistam  
Plotum iuriconsultum celeberrimum  
Et sanguine et mo-  
ribus patri-  
cium**NOUARIENSEM.**Io. V. Anelli.*

BARTHOL. DRAGHETI  
NOVARIENSIS AD  
GAVD. MERVLAM.

Gaudenti latia decus camanæ;  
Gaudenti pater Elegantiarum;  
Novarum pater et faceciarum;  
Accuratioꝛ, Eruditioꝛq;  
Qui sunt; quiue alijs erunt in annis  
Quem Nouaria gloriatur Alma  
Inter municipes suos habere.  
Quem Plotus colit, ille Plotus inquam  
Consultissimus Vtriusq; iuris.  
Integerrimus Vtriusq; Iuris.  
Stat cuius Veneranda Pytho labris  
Et modestia non seuera vultu,  
Ne non sit numero absolutus omni;  
Verum si liceat mihi fateri;

Conceptumq; animi mei explicare;  
Osorum inuidiam contra improborum;  
O, quam compositæ refertus ipse es,  
Doctrinæ, et nitidæ latinitatis,  
Seu tu versiculos, epistolasq;  
Scribis, seu monumenta iam obsoleta  
Insubrum, Et Vitiata edacis Aeni  
Dentibus, redimis, situq; turpi,  
Seu Roterodamum fugas, refersq;  
Victis hostibus, inclytos Triumphos,  
Seu imperceptibiles Vitruuianos  
Sensus exprimis, Et calumniantum;  
Astriligine vindicas procaci  
Plautinos Numeros Terentiumq;  
Tam doctè siquidem atq; tam venustè,  
Vt Nouam, veteremq; disciplinam  
Diuini et Ciceronis et Maxonis,  
Plautinosq; sales Terentijq;

versos in Merulam et migrasse credam  
Quos si posteritas leget labores,  
Legentur Merulae loci / et lepores.

Eiusd.

Si quisq̄ Patulo cupit Palato  
Ridere et fieri Nouus Cacinno,  
vel democritus ipse risione,  
solus omnia dat Terentianus.

DOCTISSIMO  
ET ORNATISSIMO IV-  
RISCONSULTO. DOMINO

IOANNI BAPTISTAE

Ploto Nouariensi patricio et  
Mecanati suo Gaudenti  
us Merula. S. D. P.



I ea, quæ in te est Plote numeris  
vir omnibus absolutissime, aut  
vis Ingenij, aut dicendi lepos es-  
set mihi sperare saltem possem,  
quando id re prestare nequeam, verbis re-  
laturum me gratias tibi. Ceterum cum In-  
genioli vires mei, sint exiles admodum / et  
tuum erga me donum sit munificentissi-  
mum / et confundor / et opprimor. Itaq; ne  
mente quidem concipere / vel coniecturis  
assequi possum / qua nam potissimum ra-

tione valeam ego effugere: ne ab ijs/qui  
nunc viuunt hominibus/et à posteritate/  
que tua, quibus deinctum me et tibi/et Plo  
tine familie esse voluisti, merita Intelle-  
ctura est, nota Ingrati animi penitus inu-  
rar. Sciet. n. quemadmodum commendatio-  
ne/et, qua plurimum potes apud Cives tu-  
os/authoritate tantum tua sim gratuito à  
Nouariensibus primatibus, quod paucis cõ-  
ceditur, Ciuitatis iure donatus. Sciet etiam  
quemadmodum cum oneri/que honori ea po-  
tius mihi (quando ob paupertatem datum  
Nobilitatis gradum sustinendo non essem)  
foret cessura Ciuitas in agro Forilebetio-  
rum hoc est in patria mea fundi exculti/  
quo nobilitatem fulcirem meam, Iugera  
fermè XLVI gratis mihi fueris elargi-  
tus. Sciet postilla/quemadmodum post Vari-  
os Labores, quos in Insucribus sustinui, ve-

lut è postliminio Simfocis, et patrie dignita-  
ti tua liberalitate restitutus. Celebrabitur  
huius tam præclari facinoris mihi crede/  
memoria.

In freta dum fluiui current, dum montibus vmbra.  
Lustrabunt: conuexa polus dum sydera paicet.

Extollent et carmine/et soluta oratione/que-  
cunq; hæc nostra legent, certatim ingenia.  
Cuiusq; doctrinae Academiae florentissima  
gymnasia Ioannem Plotum patricium. No-  
uariensem laudibus indefessis personabunt.  
Nemo fuerit tam rudis/qui hæc intelligens  
cum Virgilio poetarum principe apud lati-  
nos celeberrimo non exclamet.

Dii tibi si qua pios respectant numina: siquid  
Usquam iusticiæ est: & mens sibi conicia recti  
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt  
Sæcula: qui tanti talenti genuere parentes?

Verum ne prorsus videar ab omni parte Bar-  
barus: hoc saltem munusculo: quod tuorum  
erga me prestitorum/et mei erga te studij/  
Voluntatis/Benevolentia perenne (si quid

vt cū Vate Andino dicā / tñ siquid mea car  
mina possunt Verit monumentum / dum cla  
riora parentur , donare decreui . Libellus  
ē fateor perexiguus , et tuarū fortasse ma  
nuū / et Lucis Indignus . At tu cū et bonū /  
et gratum tuo facies fauore / et gratia . Non  
.n . me fugit tua quid possit commendatio .  
Tua quid possit celebritas . Tua demū quid  
possit authoritas . Sed Quid ego hæc ? quan  
do non omnibus dormiam . Vni dummodo li  
ber arrideat hic meus tibi / satis ē mibi : tibi  
.n . Plote doctissime / ac Nobilissime qui meæ  
dignitatis / ac quietis author fuisti / cum  
non modo : Sed quicquid est in me vel Inge  
nij / vel eruditionis / vel studij / id , qualecun  
qz est , omne et dedico / et voueo . Quod si mi  
hi tantum euenerit elucubrationes hæc  
meas à te viro tam probato probatum iri ,  
Ita me / Dij ament , vt non tantum me labo

ris exhausti non penitebit / sed etiam animū  
addes , vt maiore conatu sálebras plauti  
nas aggrediar . Bene vale et meum / et pa  
triæ decus eximium : et qui tibi Iure debe  
tur / Terentiannm dialogum hilari / vt cæ  
tera soles / fronte recipe . Merulāmqz in co  
rum catalogum / qui tuo splendori et toto pe  
ctore / et animo / et mente sunt addicti , nūc  
adscribito . Ex Forolebetiorum Pridie . K L .  
Iunij . M . D . XLII .

TERENTIA  
NVS DIALOGVS VLTRA  
OMNEM FESTIVITATEM  
VRBANISSIMVS.  
AVTHORE GAUDENTIO ME-  
RVLA CIVE NO-  
VARIENSI.



**R**RGASTVLA CVM  
gymnasiarchæ laxasset,  
secundum consuetudinem  
In Basilicam Veterē/quam  
Mediolanienses græca di-  
ctione Buleuterium vocant, discipuli con-  
fluxere. Qui cum Pomerano elegantissi-  
mo virum Ingenio/et Sacrum Antonium

TERENTIANVS.  
Mariam è comitibus ingenij facilitate/et li-  
teris ornatissimum conspexissent: ex eis  
Vnus ad reliquos conuersus/quam faustissi-  
mo(Inquit) Domine huc locorum pedem tetu-  
limus. Quæ hæc, nobis illuxit dies? optarē,  
ego nunc; quæ per quoscunq; authores disper-  
sæ sunt, dari obuias mihi difficultates. Dij  
boni/ut ego illas pro animi libidine lancina-  
rem? At etiam cum Pomerano M. Antonium  
Leontium/quod humaniorem/ et in litteris  
Ciceronianis diligentiorum cognoui neminem  
conspicio. Admirantibus ceteris/qui astant  
proximus Inquit Camillus Tertius, cur  
hoc dicis? Tunc ille, quia nostræ academicæ  
florentissima lumina, et si vis me planius lo-  
qui, eruditiorum elegantissimos, et elegan-  
tiorum eruditissimos viros aspicio. Quid  
diceres, Inquit Camillus, si adesset Lupanus

## TEREN

Otho, et qui in communem locum anno superiore abiit Gerardus Dicæus? Ad hæc ille. Pluribus / sed nõ maioribus Academiam nostram columnis firmatam dicerẽ. Eamus igitur (Inquit Tertius) ad hos alacres, quãdo ab ijs liceat abire doctiores. Cũ id consilij omnibus arisisset eò cateruatim se recepere: atq; ex illis qui minor erat natu M. Antonius Pectius saluete (Inquit) optimi Arcopagite. tũc Pomeranus Quid sibi vult (Inquit) hæc adolescentulorũ conspiratio? Quid hic ad nos concursus? Quid petitis nobilissimi / atq; optima indole p̄diti adolescentes? Tũc Iulius Quadratus alacri / atq; amena Facũdia Instructus optamus Inquit aliud nihil / quã si cõmodum est, vestros audire sermones. Scimus. n. ex ore uestro orationem fluere melle dulciorem. Tu. n. Po-

## TIANVS.

merane Socraticæ / peripatheticæq; familiæ Sydus es emicãtissimũ. Hic aut sacer Antonius Maria Academia huius literarũ politia e faciliẽ princeps. Tu uero M. Antoni, qui mihi es cũ ob morũ cãdorẽ, tũ meritis acceptissimus, peruagatis his, q̄ uocãt humanitatis, studijs in Aristotelica cohortẽ bellissimẽ te recepisti. Meritò igitur huiusce nostræ ætatis præstanti sciẽtia celebres estis habiti. Nõ e (Inquit Leotius) hæc puerilis, sed planẽ cõsumati eruditioẽ uiri, ac, vt planius loquar planẽ virilis oratio. Sed hæc missa faciamus. Proponite si placet aliquid, quod sit, et tantis Iudicibus et uestra expectatiõẽ q̄ dignissimũ. Sum (Inquit Baptista Lossetus) sub varijs præceptoribus versatus / quorum tot fuẽre de Rhetoricorum libris ad Herennium sententiæ, quot illorum sunt ca-



## TEREN

pita. An Gallionis / an Cornificij vt cōplures volunt, an alius fuerint hi libri non ualde laboro (Inquit Pomeranus). Ea phrasis profectò Ciceroniana mihi non uidetur. Possē si tam diffusam sustineretis orationem, centum locos uobis, qui et uolētem ducerent, et nolentem traherent, adducere, ex quorū singulis mediocri quisq; uel puer ingenio id operis non esse Ciceronis planè fateretur. Audistis Ingenui adolescentes quæ de libris illis mea sit opinio.

In Pomerani sententiam solo silentio cum omnes descendissent / Inquit Fridericus Ferrareus. Et si ætas mea me ad hæc diiudicanda minimè sit idonea / attamen cū et præcepta quæ in illis libris continētur / et in partitionibus / alijsq; locis à Tullio proponuntur / diuersissima, esse uideam: et exempla fri-

## TIANVS.

gida / peruersumq; præceptorum ordinē considero non possum non adduci opus illud è familia Ciceronis non esse. Sed quid arbitramini Iudices de Carmine illo Ouidij?

*Vix Priamus tanti, totaque Troia fuit.*

Franciscus Caluus (Inquit Antonius Maria) qui me obseruat plurimum / et ego uicissim illum / codicem mira antiquitate uenerandum / et ad quem huiusmodi procellis deprehensus uelut Argonauta (vt refert Appollonius) olim ad Sacram Petram in Euxino, confugere solet, habere se testatur, qui Hoc sic carmen agnoscat.

*Vis Priami tanti, totaque Troia fuit:*

*Vel ruit.*

Cum eo sentirem (Inquit Leontius) nisi id carminis citari à Calpurnio uiro in hisce litteris humanioribus clarissimo. In qua etiam significatione Lucilius accepit cum Inquit.

## TEREN

*Carcet vix Carcere dignus.*

Itaq; vetustissimis qui voluminibus velut  
sacrę anchorę non vltterius prospicientes  
inhærent, enormibus sæpe erroribus inuo-  
luuntur. Tunc Bernardinus Venustus sed  
litterarum/et morum candore Longè Venu-  
stior desiderarẽ (Inquit) à te etiam M. An-  
toni scire quę apud Ausonium leguntur duo-  
rum carminum sensum: quę aut mendis non  
carere, aut hebeti me Ingenio arbitror. EA  
hęc sunt carmina.

*Fercula gemmatis cum poneret aurea Vasis.  
Et misceret opes pauperiemq; simul.*

Ponere. n. (vt tamen mihi videtur) aurea  
fercula in vasis gemmatis non est miscere  
diuitijs pauperiem, sed potius opes opibus.  
Emendato igitur (inquit M. Antonius Leō-  
tius) hos versus in hunc modum: et sensus  
statim fiet liquidissimus.

## TIANVS.

*Fercula damnatis cum poneret aurea uasis  
Et misceret opes, pauperiemq; si mul.*

Tunc Hermes Palauicinus Francisci apud  
Vulturenos prothophsici filius Florentis  
adolescens Ingenij dic obsecro (Inquit)  
qui sensus sit eius carminis Catulliani.

O qui Floscolus es Iuuentiorum

C. Plinius (inquit Pomeranus) in Natu-  
rę historia libro decimo ca. LIII. Iuuenes  
gallinas Iuuenecas dixit. Iccirco eius au-  
thoritate Iuuentiorum, id est, Iuuenum In-  
terpretabor. Quid iam (inquit Her-  
mes) sentis de illo Propertij carmine;

*Me iuuet in gremio doctę legisse puellę.*

Tunc Pomeranus id (inquit) carminis  
sic legere solco.

*Me iuuet in gremio doctam legisse puellam*

## TEREN

Sic etiam poeta eiusdē carmē illud agnosco.  
*Nam modo nudatis mecum est luctata papillis*

*Non capillis, ut vulgata legit impressio: ta-  
 men si quis vestrum aliter sentit, aliquid  
 proponat, Velim Pomerane etiam (Inquit  
 Hermes) si tamen est commodum tibi, ut  
 ea ibidis carmina mihi declares.*

*Neue minus doleas, quam qui bibit ubera Ceruæ.  
 Armatusq; tulit uulnus Inerme potens.*

*Inversa lectio (ait Pomeranus) omnem sen-  
 sum non modo, verum etiam verborum  
 cōfundit ordinem, legito igitur Adlescēs/  
 quisquis es / optime.*

*Neue minus doleas quam qui bibit ubera ceruæ.  
 Qui tulit armati uulnus inermis opem.*

*Vel sic.*

*Cui tulit armatus uulnus, Inermis opem  
 Arbitror etiam eorū carminum verba sub-  
 uersa apud eundem poetam esse cū inquit.*

*Sollicitoq; bibas ueluti doctissimus olim  
 Imperturbato quod bibit ore reus.*

## TIANVS.

*Sic. n. lego.*

*Sollicitoq; bibas Anithi doctissimus olim*

*Ad hanc meam opinionem facit carmē illud  
 apud Horatium.*

*Anithiq; reum. Item Ouidius alibi.*

*Fama refert Anithi quale fuisse rei.*

*Hæ mihi (pace omniū / qui adestis, vestra di-  
 etum velim, inquit Achilles Græcus) con-  
 tentiones admodum frigida / tenuesq; vi-  
 dentur / nec his Amphictyonibus digna, ic-  
 circò carmen illud, quo iniustus est ab An-  
 drea Alciato Angelus Politianus, in vos  
 merito retorqueri possit.*

*Grammatici certant de lana sæpe Caprina*

*Aliqua proponantur, quibus semper et huius  
 diei / et loci uestrōmq; fiā memor. Probè (In-  
 quit sacer Gulielmus Leuius) si trium li-  
 brarum lapillo tibi caput excussero / Faci-  
 lè faciam ut loci huius / diei / meiq; semper*

B H

## TEREN

memineris. Plautinizas (inquit Græcus) tu quidem satis Immodestè. At si ego Talaricæ priuilegio legis vsus fuero/plautinizarabo ego ne/an potius Talionizarabo? Fortasse (ait Leuius) neutrum assequeris, si prioris partis fueris heres Institutus. Tunc subridentibus non nullis Arbitrarer (Inquit Græcus) Iniuriam nõ leuem tibi, qui mihi es charissimus, factum iri, in extrema saltem cæra, nisi quoq; tu hereditatis huiusmodi coheres meus scriberere.

Horum confictantium turbam inter se cum Aaron Bataleus; et Antonius Bellinus procul aspexissent: Omittamus (Inquit Bellinus) hæc cæsareatet potius illuc locorũ eamus, quò iuisse nos nusquam penitebit. B A T. Qui scis? B E L. Quia rerum bonarum nemini vnquam fuit penitenda, aut

## TIANVS.

prudenda cognitio. B A T. Quas res vocas bonas? B E L. Nolo ego hic philosophum agere, vbi me magis mercatores, quam discipuli audient. B A T. Eamus, nolo ego in hac re tibi diutius aduerjari. Bel. Moue te obsecro ocius. B A T. Moueo. B E L. Video, sed nihil Interea promoues. B A T. Tu is Inanis, onustus ego. B E L. Quid oneris te premit? B A T. Sex et sexaginta annorum: id ne parum tibi videtur? B E L. Magnum, si esset longior via, vel pluuijs inepta. Sed age, accelera. B A T. Ramices causa non sum rupturus tua. B E L. At aliquantulũ. B A T. Non sum ego nuncius in Tragedia, nec parasitus in comedia: sed Aaron Bataleus. Præterea Quid opus est Cur sitatione in tanta populi frequentia, Interiectis hostibus, Carolo Cæsare Imperante? Sed non

## TEREN

vides sputare me sanguinem. BEL. Video, sed bono animo esto. Saluum feceris, si Resine feruentis libras sex receperis. BA T. Et tu atra bili, quæ te exagitat, liberabere si liquati plumbi pondo sumptseris. BEL. Va; Minum hic agimus: melius fuerit nobis accelerare.

Hos cum vidisset Philippus Pectius lætæ puer indolis subridendo inquit. Num Lothconiuæ reuixit: et an Balam adhuc in humanis agit? Ille quidem cæsius Senex illi simillimus est, huic autem sacer iste. Quid me Ita (Inquit Bellinus) contemnis, quisquis es adolescens? nonne etiam Asina ipsius locuta est: atq; etiam cum te loquentem audio Asinam adhuc meam loquentem videor audire. Cum subrisissent leuiter omnes, inquit Bartholomeus Cupis, nonne sa

## TIANVS.

tius fuerit aliquid dici ex Terentio / quã diem hunc nugis conterere. Huiusmodi contentiunculis Cremona refertissima est. Quem mihi (Inquit Hieronymus Crispus) Terentium nominas? authorem planè barbarum / et Furem manifestarium? Profectò si Cæcilius cui palma de Comico datur, si Plautus / qui huic proximus est, si Varro / Pomponius / Næuius / Laberius / Afranius / Turpiliius / Pacuuius / Accius / Nouius / et Titinius sua dempserint à Terentio / is author Corniculam aget Aesopicam. Quid tu (Inquit Cupis) hominis es? qui de tam sacro sancto comico male audias? CRISPVS. Monstrum hominis, quæ te exagitât Intempericæ? ut clerico maledicas mihi. An tu vnquam Terentium triuisti? CVP. Tam illum / q̃ meæ nutricis vber-

## TEREN

rima vbera. CRIS. At maxima facta est  
 Iactura temporis. Nimirum Cupis si tua,  
 quam Antonius Castellionæus typis man-  
 dauit, Friget oratio: Quando hunc trilin-  
 guem Africanum in succum / et sanguinem  
 verteris. AARON BATALAEVS.  
 Insanior es Cupis hoc Insanissimo clerico.  
 Cognosti ne hominē? CVP. Præter nunc /  
 antihac nunquam. BAT. Vis vno tan-  
 tū verbo absolui? CVP. Id scilicet. BAT.  
 Bustius est, CRIS Quid tum? etiam Ana-  
 charsis Scythæ fuit. sed dic ambo, ne tu eti-  
 am ex Terentianorum es cohorte? BAT.  
 Ob id triumpho. CRIS. Vab tandem stul-  
 tus intelligo, cur tam succulenta oratione  
 efflorescas. Hinc ille tuus lepor Inuenustus?  
 Hinc tua loquendi sine gratijs Venus? hinc

## TIANVS.

illa tua scribendi insulsa garrulitas? Ni-  
 mirum Bataeæ si cum topbis rixaris, et  
 cum Apulis (vt Plauti verbis vtar)  
 lapides loqueris. sed age ommittamus  
 ista. Dic obsecro Quid habet eloquentiæ  
 illa Africana omnis Academia? Eius non  
 modo confusa est, sed contortuplicata ora-  
 tio: plena licentiæ / nihil habens concin-  
 nitatis, grauitatis item nihil. Cognosco ex  
 huiusmodi vitijs L. Apuleium / Sept. Floren-  
 tem / Ciprianum / Tertullianum / Martia-  
 nuen Capellam / Fulgentiū / Placiadem / Ar-  
 nobium / et ipsum / si vobis placet / Diuum  
 Augustinū ex illa contaminatissima Afri-  
 canorū Barbarie fuisse. quàm optimè la-  
 tinæ elegantie consultum foret / si authores  
 isti in suam Africam amandarentur hac  
 lege / et conditione vt si quis ab eorum pa-

## TEREN

tria reuocandos censuerit / is in latumias  
 lapidarias perpetuò relegetur. si sic diu fa-  
 ctum fuisset puriorem / venustioremq; ha-  
 beremus eloquentiam. Verū cū ex omnium  
 gentium colluione scripta afferantur,  
 quæ nec sesqui mensem quidem sapiunt, non  
 mirum est si contaminatam / si barbaram /  
 si Pollutam habemus eloquentiam. Tunc  
 Ioannes Maria Merula, rectè tu quidem  
 (Inquit) et dicis / et sentis. Quid. n. utili-  
 tatis? quid lepôris? quid eruditionis habet  
 iste Terentius? Quicquid. n. hic scriptitauit  
 Heliuo, ex Plauto latinitatis authore gra-  
 uissimo / ac eloquentissimo id omne decerpit  
 Caco longè Furatior. Non .n. Cauda Inte-  
 gras sententias auertit, sed palam, et re-  
 ctis vestigijs, et apertis plautina compil-  
 lat. Ad hæc velut pro patria, et liberta-

## TIANVS.

te pugnaret Antonius bellinus, Insanis tu  
 quidem Merula (Inquit) et hæc tua demē-  
 tia Ellebori Iugere non potest obtinerier.  
 Audé sne Terentium tu, quem tot secula  
 consono ore confirmarunt, damnare? Ego  
 illum in sanctorum Catalogo apposui, et  
 quoties dico sancte Petre, toties dico San-  
 cte Terenti ora pro nobis. MER. Si quan-  
 tus est pulex, tanta esset in te salismica,  
 non modo hæc diceres, sed ne cogitares qui-  
 dem. BEL. Scis ne solum Ciceroni placuis-  
 se Terentium. MER. Scis ne tu Ciceroni  
 nullum fuisse Iudicij gustum? BEL. Dñ,  
 Immortales, vbi nam gentium sumus? Tu  
 ne etiam latinæ eloquentiæ parentem uel  
 licare audes? MER. Nisi mea me retarda-  
 ret adolescentia, et Innatus pudor, sacrifi-  
 culi huius Ignauiam confunderem. Accir-

TEREN.

eo qui es firmiore latere, et animo ob etatē  
 magis virili huic si potes Pompee Brasca  
 respondeto. P O M. Quid ego huic responde  
 am stentori? MER. quę ex te superioribus  
 dum ad Diui Ambrosij. Itaremus, audiui.  
 P O M. Erit ne capax? MER. etatem ha  
 bet. B E L. Es ne tu perfrictę frontis adeo  
 qui in Ciceronem deblaterare audeas?  
 P O M. Es ne tu adeo obtusi Ingenij, vt nō  
 videas Ciceronem quandoq; dormire?  
 B E L. Locum adhuc mihi vnum. P O M.  
 Quid si decem? B E L. Me ad Trireme s  
 Andree Aurij dato. P O M. Vide quid  
 agas Belline. B E L. Vab quid dixi, scio.  
 Sed age, omnes rumpe moras. P O M. Om  
 nino semper nocuit differre paratis. Nūc  
 vos Indices animum aduertitote. Qualis  
 Belline tibi videtur hęc clausula in ora

TIANVS.

tionē pro flacco. Cædem à vobis/ coniu  
 gibus/ liberis vestris/ vastitatem à tem  
 plis/ de lubris/ vrbe/ Italia depellebam.  
 Nonne tenuis/ depressa/ et velut deficiens  
 videtur propter ommissas coniūctiones?  
 Quid itē de illa censes? Tam amicus sum  
 Reip. quàm qui maximè. Non ne deest, est?  
 Item ad lentulum. Nos In Senatu/ quem  
 admodum spero/ dignitatē nostram vt po  
 test In tanta hominum perfidia/ et Iniqui  
 tate retinebimus. Deest fieri. Item ad Pe  
 tum. Cætera more nostro. Hic subintelligi  
 necesse est V T, et F I E N T. sed hęc leui  
 uscula prę ut illius quę dabit insania. Bel.  
 Quid tandem? P O M. An latina tibi vidē  
 tur ea quę protulit, velut melius dicam  
 euomuit in Pisonem? Ad Iudicem causam  
 labefectari: pro coram iudice: vel apud In



## TEREN

dicē. Item in epistola ad Cassium. Erat autem Claternæ noster Hircius, ad Forum Cornelium Cæsar. pro In foro Cornelio. Item Ad Fornicem Fabianum / ad Senatorem relictos, Ad urbem esse / Ad Iudiciū affuturū. Huiusmodi farinae sunt ista. De prebensus cū Ferro ad Senatum? Quæ in amicitiam P. R. ditionemq; essent. Ut in vberrimas sicilię partes siciliam quæremus. Item ad Atticū. Quo die in Tusculanū essem Futurus. Cur hoc belline tibi cū ceteris suspectū videri non debet? Memini etiam Ciceronem locū contaminare Terentiū.

*Fodere, aut arare, aut aliquid ferre deniq;.*

Quis. n. ignorat veteres DENIQVE in principio sententię posuisse, et sic hunc locum legi, et optimè sonare, Ut deniq; sequē

## TIANVS.

tibus addatur, ut fiat.

*Denique nullum remittis tempus.*

Quid fingi potest durius hac dicendi apud Ciceronem figura: Contumeliam facere. Dicimus. n. Contumelias. Sed scio hac in re illum sequutum Terentiū / qui et ipse ait. *Quin nouo modo ei faceres contumeliam.*

Hic autem sequutus est Plantum in Asinaria dicentem.

*Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?*

Quid preterea ad brutū his verbis durius fingi potest? Tres res, inuisę visę sunt brute? Hoc numero ad aures auditorum nihil absurdius venire potest. Quinq; n. spondei (ut reliqua / quò siā breuior / vitia taceam) durissimā efficiunt orationē: quæadmodū Pyrrhicby totidē leuissimā. Huic fermè similis est periodus illa in primo de oratore. Hos quos nos oratores

## TEREN

vocaremus. Ita illa. Ad eas tres res. Item Ciceronis hæc sunt verba. Omnia quidem preclara rara. Huiusmodi culpa illa sunt. Dicta esse dicebat. Concedat Laurea laudi. Non possum non ridere/quoties carmen illud mente repeto.

○ *Fortunatam natam me consule Romanam.*

Sed o d, boni, quot Ineptias quandoq; parva tegit auctoritas? Non ne etiam Ciceronē ratio quoq; fugit? cū in prima Questione Tusculana septenarios vocat illos.

*Heu reliquias semi assi Regis denudatis ossibus  
Per terram sanie delibutas fædè diu uexarier.*

Quid de illo dicam in prima Tusculana? cū in epulis recusasset lyram: pro in cōiuiuo. nonne alienissima dictio? Præter ea quàm apertissimus est Terentij emulato: non sentētias modo, sed ipsa verba supillatans ut ista declarant, quæ ex Terentio decer-

psit.

## TIANVS.

psit. Aderat frequens/aduocabat omni studio/gratiaq; pugnabat. Cū remiserant dolores pedum. Vel mori satius est. Quid ais bone custos/defensorq; provinciæ? Timarchides columen familiae. Vestrae. Potius doloris/q; eloquentiæ partes esse susceptas. Longum est dicere. Quid hoc homine facias. Tacent, satis laudant; Dixit Terentius. At Cicero hæc verba sic expressit. Tacendo loqui, non Inficiando confiteri uidebantur. Terentij item hæc sunt verba. Quæ nunc est ad uxorem tuam. Cicero nis autem ista. Erat ad portas cum Imperio. Audi etiam planiora furta. Tibi scribam dicam. Cic. Scribitur Heraclio dica. Terē. vel quod ipsi cupio Glycerio. Quid ego Fundanio non cupio. Teren. Ut redeat iam in viam. Cic. Redeamus in viam. Te

C

## TEREN

ren, id est profecto. Cic. Id erat profecto.  
 Teren. Credamus hoc Te esse huic rei ca-  
 put. Cic. Caput. n. esse arbitrabatur orato-  
 ri. Teren. Applicat primum ad Chrysidis  
 patrem se. Cic. Meq; ad eundem, quem Ro-  
 mē audiueram Molonem applicaui. Terē.  
 Equidem istuc Chreme equi/ boniq; facio.  
 Cic. Tranquillissimus autem est animus,  
 qui totum istud equi boniq; facit. Terē. Vno  
 ore omnes authores fuere. Cic. Ego quidē  
 author non sum. Sed ille ex Plauto/ qui  
 prior dixit. Author tibi sum, ut me aman-  
 do enices. B E L. Quid hac mihi: tanq; qui  
 nesciam Ciceronem fuisse Terentianę elo-  
 cutionis auidum: presertim cum ipse hoc fa-  
 teatur maximē, vbi Catonē Introducit  
 fatentē se libenter Terentiano uerbo uti:  
 Sed cum ipse iam fessus sim, dic tu Zanar

## TIANVS.

de Tornielle/ qui Ciceronis es huius æta-  
 tis vnicus obseruator/ et defensor acerr-  
 mus. Z A N.

**I** Andudum Cicerone destituto in Iustiniani Impera-  
 toris me castra contuli. Verū mtamen si vultis à me  
 quoq; aliquid in gratiam Ciceronis dici, nunc au-  
 dite. Sunt authorum præclara Ingenia, ea prefer-  
 tim quæ posteritati aliquid tradidēre, Criticorum  
 obuia moribus. Illisq; videmus euenire quod ait  
 Seneca.

Ferunt summos fulmina montes  
 Corpora morbis, maiora parent.

Cum etiam viueret Cicero, plurimos non modo glo-  
 riæ suæ, sed & eloquentiæ Inuidos ipsius splen-  
 dor excitauit. Alii si quidem cum Romanæ elo-  
 quentiæ palmam sibi ab Arpinate preripi viderēt,  
 eum vocabant Aridum, leiuum, durum, hor-  
 ridum, Alii verò redundantem, Elumbem alii,  
 alii scopam dissolutam appellare non dubitarunt.  
 Videte obsecro q̄ Infelix sit, & Inanis ista ludicio-  
 rum malignitas. In hac classe fuere Asinius, Bru-  
 tus, Coruinus. Porrò ille, qui Inter hos est ordi-  
 ne primus, Asinium dico tanta in Ciceronem fla-  
 grabat Inuidia, vt studuerit latinam contaminare  
 eloquentiam Ciceroni calumniando, & detractā-  
 do. Intollerabile ei videbatur, Quòd Cicero non  
 solū patriæ, Sed latinæ linguæ pater diceretur.  
 Sentiant igitur vniquiq; quod velint: Illisque do-  
 minetur.

## TEREN

Regina Vitæ, & rerum opinio omnium:

Quod risu excipiantur illius Carmina, non est mirum: nondum enim pennato gradu in Martiam Italorum gentem se Musa contulerat, ausim tamē illud affirmare ante cum poetas omnes facile superasse ostendunt ex græcis Tragædiis istud, quas etiam admirari solemus, carminum versiones.

Quis .n. ista vnquam damnare audebit Trochaica Catalectica, quæ ipse latina fecit ex græcis Euripidis Assum, atq; aduenio Acheronte vix via alta atq; ardua Per speluncas saxi structas asperis, pendentibus, Maximis, vbi rigida constat crassa caligo Inferom.  
Item quis ista non admirabitur?

Quia Argiui in ea delecti Viri.

Vecti petebant pellem inauratam Arietis,  
Aut hi, qui oceani freta illa viderunt,  
Europam, Lybiamque rapax vbi diuidit vnda.  
Hoc nonne tragico boatu sonantius?

Vnde horrifer

Aquilonis stridor gelidas molitur niues,  
Nec ista Ingeniis displicitura video.  
Solum nitescere, arbores frondescere,  
Vites lætificæ pampinis, pubescere,  
Ramus Baccarum vbertate Incurvescere,  
Segetes largiri fruges, Florere omnia  
Fontes scaterere, herbis prata conuestirier.  
Dii boni vt Illud Simonidis eleganter vertit.  
In Tusculana secunda.

Dic Hospes Spartæ, nos te hic vidisse Iacentes  
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur,  
Item ista heroica,

## TIANVS.

Ignaris homines in vita mentibus errant,  
Euthynous potitur fatorum munere lato.  
Sic fuit vtilius finiri ipsique, tibi que.

Addam & ista ex Cresphonte Euripidis à  
Cicerone Iure latii donata carmina.

Nam nos decebat cœtus celebrantis domum  
Lugere, vbi esset aliquis in lucem editus,  
Humanæ Vitæ varia reputantis mala.  
At qui labores morte finisset graueis  
Hunc omnes amicos laude, & læticia exequi.  
Possem & alia Cicerone Interprete versa in latina  
nam linguam carmina hic proponere, sed tam  
diffusam, tametsi ego dicendo essem, non sustinere  
tis orationem. At scio, ex vobis aliquis dicet,  
non placuere ista Martiali, Respondebo & ego,  
sua non arridere omnibus & esse in Carminibus  
suis, quod ait ipse.

Sunt bona, sunt mala, sunt quædam mediocria.

Optarem igitur Integerrimi adolescentes à primo statim  
Lacte Infantes cum Cicerone colludere: ille  
cuicunq; ætati est Idoneus. Illo nihil est facilius,  
nihil delicatius, nihil elegantius. Malè (vt ego  
sentio) puerorum Ingeniis, qui Pylatum illum,  
Pyladem volebam dicere proponunt & Alexandrum  
de Villa dei, consulunt. Nihil est horum carminibus  
insulsius, Barbarius, Inuenustus, Incul-  
tius, Durius, Horridius. Nullus est per Germanias,  
Gallias, Hispaniasque Typographus, quem  
non pudeat his duobus authoribus manus admo-  
uere. Et nos cum iis barbaris versificatoribus, &  
Boetis filios nostros versari patimur? Dii boni, que

## TEREN

nam hæc dementia? Solum Mediolanum dat Py-  
lades & Alexandros. Delete obsecro Insubres hæc  
Ignominiam, & tandem edicto Cauete, ne quis  
chalcographus posthac has duas latinæ eloquen-  
tiæ labes, stercorea dixissem nisi Orexim in vobis  
excitari timuissem, audeat imprimere. At dicet,  
scio, aliquis suos hi authores habent Interpretes,  
Et ego illis respondebo suas habere labra lactucas.  
Quid tum postea? Dimissis igitur Lamis istis ab  
Inflexione statim nominum & verborum dedica-  
te vos Adolescentes Ciceroni. At qui vobis hu-  
iusmodi diffarreationis authores Interpretatur, di-  
cite eis alacres, Non sapit ista seges. Hæc obiter di-  
xi, si qui diuersa sentiunt, exeant in Arenam: &  
suas acias struant Cùm hæc vultu alacri & mode-  
sto Torniellus dixisset mirus est eum plausus sub-  
sequutus. Tandem silentio manu Impetrato Sa-  
cer Benedictus Marlianus ad Fabros Argentari-  
os Aedituus exsurgens inquit.

*Annis Zanarde Tornielle virtutibus uir om-  
nibus absolutissime superioribus dijs Fauē-  
tibus Ciceronem ad Scythas relegaueram-  
us, nescio, quomodo paucorum fauore/  
et commendatione, denuo ad nos hic male-  
dicus redierit. Maiores nostri, quorum ad*

## TIANVS.

*huc diligentiam potius admiramur / quam  
assequimur, Ciceronem / Plautum / Teren-  
tium / Cor. Tacitum / Cris. Salustium / et  
huiusmodi ætatis authores prorsus igno-  
rabant: atq; istas loquendi delitiosas / vel  
vt melius loquar, fucatas illecebras totis  
viribus euitabant. Iccircò eorū erat ner-  
uosior oratio, nullis meretricijs coloribus  
ornata / nulla affectatione obumbrata.  
Baldi sacros grammatices canones / quo-  
rum primogenitus testamento hæres Insti-  
tuebatur, præceptores proponebant. Post-  
modum in medium venire illa præclaris-  
sima Collæ Montani / Guarini / et Ioannis  
Bossij Ingenia: quæ quanto Reip. littera-  
riæ adiumento fuerint, aliorum sit iudi-  
cium. Vbi his præceptumculis pueri fir-  
mati videbantur Alexandrum de Villa*

## TEREN

dei nox amplectebantur. Deinde vbi non  
 amplius lacte / sed cibo viriliore fuerat  
 opus Augustinum Datum virum, ita me  
 di benè ament, eloquētissimum / et qui mil  
 le Ciceronibus / totidemq; Fabijs dicendi  
 venere excellit, sacro peractō / et dijs au  
 spicibus suscipiebant. Hinc illa Ingenia vi  
 uacissima / hinc Aratorum oratorum di  
 cere volebam agmina illa florentissima /  
 hinc illæ Thomistarum / et Scotistarum co  
 hortēs sanctissimæ. Qui autem ad sacra  
 musarum adyta iter parabant: ad Julpi  
 tium Verulanum / Alexandrumq; quibus  
 poeseos clauēs cōmissæ sunt se cōfercbant.  
 Hac autem ætate dijs iratissimis hos au  
 thores pueri reiecere / et se statim à lacte  
 pueri dant Ciceroni / Plauto / Terentio. Id  
 an feliciter fiat / ipsi viderint. Ipsa tamē

## TIANVS.

res loquitur, quàm id puerorum malè cę  
 dat Ingenijs. Ipse cūm authores istos eijci  
 viderem Guarinum Imitatus Canones  
 grammaticales digessi / Impressioniq; meis  
 Impensis tradidi: Hisq; qui meæ tradun  
 tur Institutioni / præceptis pueros assuefa  
 cio: Quàm optimè, res ipsa declarat. Plu  
 res. n. ex gymnasio meo singulis mensibus  
 Adolescentes eruditione florentes / quàm  
 toto decennio ex equo Durio præstantes  
 belli duces prodeunt. Hac iudices optimi;  
 non vt diligentiam laudarem meam, di  
 ximus, sed vt, quàm toto cęlo errent; qui  
 Terentiani / et Ciceroniani vocari exop  
 tant, intelligeretis. Hic autē Bellinus, qui  
 vobis diu pro Terentio / et Cicerone, quos  
 neq; per transennam salutauit, fuit obstre  
 perus, eos Vatiniano odio prosequitur.

## TEREN

Nunc si quis diuersa sentit, procedat in medium. Responderem (Inquit Bellinus) tibi, nisi qui sim ego / qui item tu, scirent omnes. Quantum ipse huic Reip. litterariae profecerim, malo hoc ab alijs / quàm à me dici. Ego nominum inflexus et verborum ad amicum explicavi: Ego grammatices canones emendavi. Quid tu horum unquam maledice? Quid hæc tibi debet Academia? tam tibi / quàm qui natus est nunquam. si igitur loqui nescis Marliane saltem tace. Cum res ad Iurgia spectaret, ut hæc dirimeret, redeat (Inquit Leontius) unde uestra digressa est, oratio. Tunc Dareus Maietus Magni illius Iacobi Filius ego etiam (Inquit) animaduerti M. Tullium Ciceronem Falsò / et sine Iudicio nonnulla protulisset. ait. n. obsequium à Terentio primum di-

## TIANVS.

Etum fuisse. Dij boni, quod facinus? Nonne constat et / Plautum et Neuium / qui diu ante Terentium uixere hac dictione usus? Obsequium. n. animo summere ille in Bacchidibus dixit. B A T. Stultitia hic se alligat. B E L. Maxime. M A I E. Tacete oues Thymiana. B A T. Et tu Larinum pecus quid oblatras? B E L. Ob, ob, ob, hominem; ut decuit, pupugisti. B A T. Insurgunt nunc Irgenia quædam peruersa, quæ se putant Cornicum oculos configere. B E L. Si namus hominem paululum *Χολιν ακρατον* tuomere: redibit in mentem postea. M A I E. Quid hinc clamitas bellua? an ruri censces esse te? abi in prefecturam tuam Germana illuuias. Oboluiisti allium. Tace. B E L. Profecto si perges malè loqui / quæ nolles iudices tu quoque. M A I E. Modestiorum igitur

TEREN

tur prebe te mihi: Ita me deus adiuuet, ut tibi persuades hanc rem. litterariam tuis solis humeris sustinere. BAT. agite s'ultis. Qui sunt isti, qui in Terentium maledicentia virus exercent? His vocibus exacerbatus Hyacinthus Caluus si obiter (inquit) ceterum tibi Furta Terentij proposuero, Quid author es ut faciam tibi? BAT. tibi me emancupi do. CAL. non curo huiusmodi decrepitis mancipium. Age aliud propone. BAT. Quod te sacrabit Aeternitati, in honorem tuum epigramma componam. CAL. Hac Vitula contentus abibo: BAT. Tandem, exordire. CAL. Facitote silentium et linguis fauetote. Loca quae ex Plauto surripuit Terentius primum in scenam adducam: mox Terentij furta subnectam. Praut futurum est, Au

TIANVS.

daciq; Columen. In oculum vtrum uis conque scito, oculum/an in aurem. Maleconciati. Pernicies Adolescentum. Iuuabo aut re/aut opera/aut consilio bono. Rem ad tam agis. Si patrizat filius. Statur hic ad hunc modum. Quod tua nihil refert, ne cures. Dabo aliam pugnam. Seruiat suo sibi patri. Sua sibi fallacia. Ut sepe iam in multis locis plus insciens quis fecit, quam sciens boni. Nunc obsecro te Mulpbio hanc per dexteram. Faciam huius diei lociq; meiq;, semper memineras. In noxa es. Ventum facite, ut gaudeam. Tantum est. Satisne multa? Auditote nunc e regione Terentium haec loca vsurpantem sibi. Praut rabies, que dabit. Columen vero familia. In aurem vtramuis ociosus ut dormias. Maleconciat. Pernicies communis adolesce



## TEREN

*lum. Aut consolando / aut consilio / aut re  
iuuero. Laudo Ctesipho patrizas. Quid  
agitur? statur. Tua quod nihil refert / per  
cuntari desinas. Dabit hic aliam pugnam  
denuo. suo sibi hunc gladio Iugulo. Plus ho  
die boni feci / quam sciens ante hunc diem  
vngquam. Quod per hanc ego te dexteram  
oro. Faciam ut huius loci / dieiq; / meiq; sem  
per memineris. Hic in noxia est. Virgini  
ventulum sic facito. Tantum est. Quoties  
Cistel. illud Quid istuc est negocij? Snt hac  
ne Batalee Furta manifestaria? BAT. Iam  
dimidium epigrammatis paravi. CAL.  
Vis ne totidem nunc audire? BAT. Per  
cupio. CAL. Dum hac à me tibi dicetur,  
reliquum epigrammatis absolue. BAT. Fa  
ctū dabitur. CAL. Audi Plautū etiam,  
mox, Terentium. Vir me pessumis habet*

## TIANVS,

*dispicatum modis. Hunc locum emulatus  
est Terentius in sua Eunucho. Cū inquit  
Cherea. Quæ nos / nostramq; adolescentiam  
habent despiciam.*

*Plautus In Capt.*

*Neq; iam seruare salus, si volt, me pōt, nec copia est.*

*Ter. in Adel.*

*Ipsa si cupiat salus seruare, non potest.*

*Plau. In Cistel.*

*I præ iam te sequar.*

*Ter. In And.*

*I præ fequar.*

*Plautus in Amph.*

*Si in actione hanc absente nobis.*

*Ter. in Eun.*

*Nescio quid pfectò absente nobis turbatū est domi.*

*Plau. in Bac.*

*Illecebrosius fieri nihil potest*

*Nox, mulier, vinum, homini adolescentulo.*

*Teren. in Adel.*

*Persuasit nox, amor, Vinum, Adolescentia.*

*Cecilius Comicus Mediol. In Chryso.*

*Audibis malè, si malè dicis mihi.*

*Ter. In And.*

*Si mihi pgit, quæ volt, dicere: ea, quæ nō volt, audiet:*

*Plau. in Mostel.*

*Non possunt olere vnguenta.*

*Teren. in Adel.*

*Olet vnguenta.*

## TEREN

Plau. in Mostel.

Quid è grege es?

Teren. in Adel.

Hic de grege illo est.

Plau. in Men.

Quid tu vis? id aio, atq; id nego.

Teren. in Eun.

Negat quis, nego: ait, aio.

Plau. in Mil. glo.

Neg; præripio pulpamentum.

Teren. in Eun.

Pulpamentum Quæris.

Plau. in Men.

In scyrpo nodum quæris.

TEREN. in And.

Nodum in scyrpo quæris.

Plau. in Poen.

Isti quidè hercle orationi Oedipo opus est cōiectore.

Teren. in And.

Dauus sum, non Oedipus.

*Sed vis ne Batalexæ ut ijs adducendis omne  
tempus conteram? si dieculam tantum mi  
hi concesseris Furtorum centurias confe-  
cero. Si tuis vtor, horum iamdudum abu-  
tor auribus. B A T. Victum me fateor, et  
herbam tibi trado. C A L. Celebra carmine  
nunc me tuo. B A T. At carmen fuerit ex-  
tempo*

## TIANVS.

*Temporaneum. C A L. Fuerit. B A T. sine*

*ut respirem/et barbam mihi demulceam.*

*C A L. Sino. Nunc tandem Apollincm tuū*

*excita B A T. Tace iam.*

*Laudibus ut possim meritis extollere Caluum*

*Pandite diuinum nunc Heliconæ Deæ:*

*Non hic humano celebrandus carmine: non hic*

*Huius Pierides est opus Ingenio.*

*Quò me conuertam? dicendi exordia summam*

*Vnde mihi? Ingenium, vis, animusq; iacent.*

*Namq; omnem superas laudem puer optime: nec te*

*Laus laudare Puer si cupit ipsa potest.*

*Felices ergò qui te genuère parentes.*

*Et quibus euenit tale vidère Iubar.*

*Vbera suxisti, quæ tu, sanctissima sunt:*

*Felix te venter qui tulit, esto diu.*

*Atq; pedes vbi tu roseos defixeris, alma*

*Perpetuò uireat terra ibi flore nouo.*

*Atq; vbi docte puer compones mollia membra,*

*Plenus confestim sit locus ille rosis.*

*Et qui te referunt, surgant molles Hyacinthi*

*Ocima, sampucus, lilia, Ros, Viola.*

*Nestoream annorum seriem sine labe dolorum*

*Det tibi, qui solus Iupiter ipse potest.*

*Cū id carminis ex tempore Aaron Batalexus  
ceciniſſet, non leuis omnis detinuit admi-*

D

## TEREN

ratio: quòd senex tam seuerus adeo molli-  
ter cantasset. Ipse autem Aaron operto  
pallio capite domũ se recepit. Interea qui  
ibi remanserant adolescentes secundo An-  
tonium Bellinum et Musarum et Christi-  
sacerdotem egregium rogare ceperunt, vt  
et ipse in commune aliquid proferret. Quæ  
hic à me (Inquit Bellinus) dici possunt, lu-  
culenter in libello / qui de Ratione Study in-  
scriptus est, digessi. Opus est varia supel-  
lectile refertum / elegans, et perutile. Por-  
rò id labòris non insumpsissem, nisi nobilis-  
simorum hominum, quibus id negauisse  
propemodum mihi religio fuisset, diutinae  
preces extorsissent. Dum hic autem libel-  
lus in lucem veniet, Terentium in sinu  
velut Barbarie presens amuletum gesta-  
bitis. Tunc Ambrosius Bampbius Linianẽ

## TIANVS,

sis, Felicius (Inquit) adolescentes bonas  
in Erasmicis elucubrationibus collocabi-  
tis quàm in Terentio. Est. n. vbiq; sui simi-  
lis hoc est candidus / grauis / elegans / Iucũ-  
dus. Sed quid ego Noctuas Athenas? hoc ẽ  
Erasmum / qui Deus est tibi / apud te lau-  
do? Terentius autem non adeo bonus ẽ au-  
thor: nam et solecismis scatet / nonnunquã  
affectatẽ nouitatis est plenus / aliquando  
mancus / sepe numero redundãs / ipsam ali-  
quando superat antiquitatẽ. BEL. Vix cõ-  
tineor, quin inuolẽ in oculos mastigia. Cũ  
hac dicis contumelia per huiusmodi uer-  
borum petulantiam Teretio factum itur.  
Abi s'cis igitur. B A M. Quò ego abeam?  
BEL. Ad ferulas Iterum. B A M. Visne  
deposito pignòre super hoc negocio certa-  
re? BEL. Quid ni? etiam deposita Tunica.

## TEREN

B A M. Age certemus. Tua mihi tunica assignabitur si huiusmodi errores decem exposuero. B E L. dabitur. B A M. Quid si viginti atq; triginta? B E L L I N V S. Author sum vt des me discipulum Caradino Rubrobarbo M. Turcæ huius ætatis Archipirathæ. B A M. Quid pollicearis, vide. B E L. Scio non esse te huiusmodi Ingenij / qui possis solecismi nota Inurere Terentium. B A M. Vab, nugarum plenus. B E L. Tandem incipe / molestusne esto. B A M. Vt tandem cognoscas obtuso esse te Ingenio, gratis à me Intellige, non esse eius candoris quem putas / authorem Terentiū. *Qualis tibi periopus ista videtur?*

*In Adel. Ac. I I I. Sc. I I.*

*Nisi me credo huic esse natum rei?*

*Non ne noua, difficilis, & incōcinna locutio? Qua porro aliud intelligimus nihil, Nisi quia credo. Præ*

## TIANVS.

terea redundans est. HVIC ENIM REI, subtrahi potest Incolumi sensu, Ex eadem sce,

*Vide ne ille huc se Irruat.*

Cūm irruat neutrum sit (vt grammatici vocant) absolutum, contra decreta. S. P. Q. Grammatici si Belline non vides S E Pronomen uacare redire potes ad Magistros. B E L. Perbellè deciperis, irruo, n. siue Ruo accusatiuo adiunctum legi apud Virg. Lib. XII. Cūm inquit. Ruet omnia latè: B A M. Si Seruium Belline legisses, nunq̄ Isthæc dixisses. Ruet. n. euertet, & eruet, Interpretatur.

*In eadem Scena.*

*Verūm hodie nunquāmonstrabo*

*Nōne hīc aperta, & manifesta verborum redundantiā? Nam NVNQVA M per se generale est. Porro illud Virgilio.*

*Nunq̄ omnes hodie moriemur Inulti.*

*Exametri carminis expurgat ratio: quæ pro Terentio stare non potest: quando uti potuisset alio carminis ab hoc genere.*

*Ex And. ac. I I. Sc. I I I.*

*Nam quod tu speras propulsabo facile*

*Mira Sermonis est Improprietas, quæ græcis est acyrologia dicendum. n. fuit quod tu metuis. Nec hoc loco mihi Belline velim Virgilio carmine occurras. At sperate Deos memores fandi, atq; nefandi.*

*Item illo.*

*Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.*

*Quando poetarum principem ab hac Calumnia cadē*

## TEREN

carminis exaetri necessitas eximat.  
Ex Adel. Ac. III. Sc. III.

*Quam ille quicquam ceperet*

Nōne hoc Belline Vocabulum ante Carmentam Euā  
dri matrem ab Italorum auribus exoleuerat? si Id,  
cur eo vti ausus est Terentius?

Ex adel. ac. III. Sc. III.

*Ad nequitiam abducere*

Quid hoc Improprum magis dici, fingiue pōtest? Ab  
ducimus. n. à loco. Cicero. II. de Fin. Libro. Maio  
res (Inquit) nostri ab aratro abduxerunt Cincinna  
tum illum, vt dictator esset. Idem Actio e In C.  
Verrem V. Omne Instrumentum diripuit, Familiā  
abduxit. Sed quid ego Ciceronē adduco? cū in  
hac eadem Comēdia ipse dixerit sannio Me Inui  
to abduxit meam? In Hecy. autē locutionē nō ver  
bis, Sed sensu manifestā leges cū inquit Donec  
in ipsis nuptiis. Deest. n. positus, cōstitutusue ita do  
luit & egrē tulit Ex Adel. ac. III. Sc. III.

*Aperite aliquis actum hostium*

Hæc ne solecismo caret oratio? potēsne hanc Ingenio  
Belline tuo defendere? eam igitur, qui patronū  
te profiteris Terentii ad antiquitatem reice. B E L.  
Absurdissima est omnino. B A M. Longē absurdio  
ra audies, si tacitum te mihi tradideris.

Ex Hecy. Ac. III. Sc. Ultima.

*Aut res mecum nuptam*

Nōne stultorum etiam Iudicio hæc locutio omnem

## TIANVS.

euincit antiquitatem? B E L. Reueriora ad Sagram  
gesta mihi recitas. B A M. Vah, & hoc nihil, præ  
iis quæ sum dicturus. Ex eadem Sec.

*Et si tibi Causa est de hac re*

B E L. Quid habes in his verbis reprehensione dignum?

B A M. Non vides hoc in loco causam pro defen  
sione poni. Causa ab Aristotele quadrifariam par  
titur, In materialem ex qua aliquid fit: Efficientem  
à qua aliquid fit: Formalem per quam aliquid fit:  
Finalem, cuius gratia aliquid fit. Si suspensa (quod  
aiunt) manu omnia consideras, horum huic nihil.  
B E L. Non Inficias eo. B A M. Facile Item mihi  
persuaserim Terentium adeo bonarum litterarum  
expertem fuisse, vt is Causam simplici. S. Scripti  
tarit. An hoc Belline tibi credibile videtur? B E L.  
Calculum huic tuæ album opinioni addo: nam &  
codicem, quem fama est constans Terentiana ma  
nu exaratum Nouariē vidisse licuit, qui causam  
habebat vbiq; simpli. S. scriptitatum. Nunc tandem  
in Sententiam tuam accedo. B A M. Quam Sen  
tentiam? B E L. Terentium non eum esse Latinita  
tis authorem, quē nobis Horatius, Des. Erasmus,  
Ioannes Riuius, & ille omnium vanissimus homi  
num Franciscus Assulanus predicant. B A M. Cre  
disne Terentium aut latinæ grammatices cano  
nes, Intellexisse: aut eis inhesisse? B E L. Arbitra  
bar. B A M. At postac non sic dices, vbi eius in grā  
maticalibus errores ex me Intellexeris. B E L. dic  
amabo, iam nihil eque cupio. B A M. Tacitus sis.

Ex Adel. ac. III. Sc. III.

## TEREN

*Neq; boni/neq; liberalis functus officium  
est viri.*

Fungor, n. si latinè tamen loqui volueris, septimum ad iunges: quod si mea apud te sublesta est fides, audi Cicronem ad Lentulum scribentem. Cum & honoribus (Inquit) maximis perfuncti essemus. Verum dic tu Belline, qua ratione Paulò Infra dixerit, Tuo officio fueris functus. An credibile est errando eum rectè scripsisse? Huiusmodi errores tu quoq; Belline animaduerteres: si singula verba suspensa (quòd aiunt) manu legeres.

Ex Eun. ac. III. Sc. I.

*Id verò serio triumphat et*

Et paulò Infra. Id (amabo adiuta me) videsne ob demptas prepositiones sensum horum verborum obtenebrari, & lippire? Sed hoc nihil, audi solecismum.

Ex eadem Sc.

*Qui habet salem, quod in te est*

Solecismo manifestario hæc scætet clausula. Id Vitii, qui Abecedarius est, ferè agnoscet puer. Bel. Emoriar, si grammaticales canones Terentius tenebat. Dii boni, vix in id vitii Sebastianus Sabulo Sacer Incideret. Sed age in tua castra me recipio. B A M. At ego te non vt Trāsfugam, sed vti prudentem militem tractabo. Sed ad reliquam expostulationis partem transeamus.

Ex And. ac. III. Sc. V.

*Maledicis*

## TIANVS.

Legisti ne vnquam pro Comminaris hoc uerbū. BEL. Quòd sciam minimè. B A M. At si hoc in loco aliter fueris Interpretatus, non conueniet sensus. BEL. Nunc demun te laudo Galeati Mirabilie, qui ita Terentiana lectione vt quandoq; uino egri, stomacaris. Profecto uno tu, Magis, quàm ego duobus oculis vidisti. Sed age, perstringe reliqua. B A M. Tace, si id factum cupis.

Ex And. Ac. III. Sc. V.

*Paululum Interesse censces*

Paululum pro multum posuit, atq; id fatetur Donatus Magnes ipsius. Quid hoc contrarium magis audisti? BEL. O scopellè, scopelle tantò te magis laudo, quantò tuum admiror Ingenium. Quoties per sancta sanctorum mihi soles lurare ne liminarem quidem Terentii pagellam non lectum sed à te ne quidem tactum, aut visum fuisse. Non mirum igitur si lacte, & melle tua stillat oratio. B A M. Hæc si omiseris, nonnulla etiam, que latina sunt minus Intelleges. Ex And. Ac. III. Sc. VI.

*Vtinam*

Novo dicendi genere, omnem, quod propè sensum obtenebrat, vsus est, hic tuus author bonus. Exoptationem, n. pro negatione posuit. Nonne hæc loquendi formula eruditibus auribus est Inaudita? Bel. Ita è maximè, & hac fieri potuit absurdius nihil. B A M. Collige te Belline aliquantulum si tumida vis audire. Ibidem.

*Nunquam huc tetulissim pedem. Itē Ac. V. Sc.*

## TEREN

*I. eiusdem Comœdia: Dum res tetulit*

Hæc verba Critici meritò notarunt, quòd, quæ Character comicus planè aspernatur, tragica sint. Præceptum, n. est tritissimum, ne ad Cothurnum soccus ascendat. B E L. Profectò tantum in te, ni re ipsa comprobassent, eruditionis esse, credidissent nunq̃. B A M. Si presentem me laudaris, alium esse te duxero: Sed tace obsecro, Si q̃ citissimè cupis absolui, Ex And. Ac. III. Sc. VI.

*Vbi ea Causa, quàm obrem hæc faciunt*

Redundans est, & planè superflua locutio. Nam aut re abundat, aut Causa. Porro paulò Infra mancam facit elocutionem cum inquit. Et nescio quid tibi sum oblitus) dicit. n. propter ut scit. propter nescio quid, aut nescio pro qua re. Donatum consule, si Terentio plus nimio ipse Infestus videor. Ex Phor. Ac. III. Sc. I.

*Multis modis cum isthoc es vituperandus*

Pro istius animi latina efflagitat elocutio. B E L. Nonne hoc saltem in loco expurgari potest, cum idem, què puto sequutū fuisse Terentium dixerit Ennius. Optima cum pulchris animis Romana iuventus. B A M. minimè, illum. n. (vt de Virgilio dixi) exametri necessitas arctat, hic autem licentiores habet numeros. Ex Phor. Ac. V. Sc. I.

*Quem semper esse te dictitasti*

Esse pro nominari, legistine vnq̃ Belline? B E L. Quòd sciam, minimè. B A M. Quid tandem de Terentio

## TIANVS.

sentis tuo? B E L. Reus est Gehenæ. B A M. Nonne Reip. literariæ subuersor, & puerfor? B E L. ó carmenta. Q. Quadrigarie, o Enni, qui in Communem locum, q̃ hic vitiligator nasceretur, abiistis, Felicissimi estis. B A M. Nunc video te rescipiscere. Ex Phor. Act. V. Sc. VIII.

*Quæ tu te dudum coràm me incusaueras*

Hæc eruditis auribus noua locutio est, CORAM me Incusaueras: non quæ hîc incusaueras. Ex And. Ac. III. Sc. II.

*Illud multò mihi maximum est*

Antiquè satis, sed id Donatus Antiquitati condonandum putat, quæ multò comparatiuis & superlatiuis adiunxit. Ex Hecy.

*Per pol, quàm paucos reperias / Et paululū  
infra Quàm sancte,*

Vides ne quàm turpissimè tuus lapsus sit Terentius? B E L. Video, Q V A M enim ex decreto Grammaticorum superlatiuis non autem positiuis adiungimus. B A M. Scopam ipsissimum Veritatis attigisti. Sed dic obsecro, nonne & Cicero, qui in oratione pro P. Sylla dixit. Quàm multorum hic vitæ est à L. Sylla deprecatus, eadem erroris nota Inuendus est? B E L. Quid ni? B A M. Sed age, penā ipse tuo nunc Iniūge Terentio. B E L. Ad Hippolytum Fabrum trahendus, vt ibi compedibus, manibusq; vinciatur, deinde in Latumias coniiciendus est. B A M. Laudo Belline te. ad Ingenium re-

## TEREN

dis. Nunc ad reliqua pergamus.  
Ex And. Ac. III. Sc. II.

*Quod iussu ei date bibere*

An & hæc latina tibi videtur elocutio? B E L. Barbara omnino, Duo enim verba actiua nullam habent significationem sine nomine, aut pronomine, vt si dixerō scribis, curris. B A M. rem tenes nunc rescipiscenti gratulor tibi. Ex aduocato. n. iam accusatorem te prospicio. B E L. Quid faciam? mihi semper amicus fuit Plato, amicus Socrates, magis tamen amica veritas. B A M. Quantus, quantus, mihi nisi sapientia es. Nunc veniamus ad exostulationis Catastrophen.

Ex Adel. Ac. III. Sc. III.

*Vt vna mecum ad matrem virginis*

Redundat hæc locutio. Ad sensum. n. perficiendum, quis est, qui non videat, satis esse vnâ, aut mecum?  
Ex Eun. Ac. V. Sc. VIII.

*Nihil quod dicas*

Nihil pro non posuit. Vt sit, non est, quod dicas mihi. Idest nihil est quod dicas, pro vt dicas mihi. Vide vt contorte, vt confuse, vt Ineptè Terentius loquatur. In qua clausula cum se Donatus Interpret diu torfisset & sensum vix assequeretur Terentium volens expurgare ait veteres sic locutos fuisse. Sed tamen ex veteribus qui sic fuerit locutus adducit neminem. Ex eadem Sce.

*Nunquam etiam fui vsquam*

## TIANVS.

Cum nunq̄ & locum, & tempus significet, qui non videt superfluâ esse locutionē, recdeat sub signa grammaticorum. B E L. Dii boni, tantam eruditionem nō Inueni in Israel. Tu quidem Varroniano Tricocele longè es oculator. B A M. Tace.

Ex eadem Sce.

*S' cin me, quibus sim gaudiis*

Et hæc planè locutio est superflua. Sufficit. n. S' cin quibus ego sim gaudiis.

Ex Eun. Ac. V. Sc. V.

*Vbi satias cepit fieri*

Vt illæ sunt redundantes, sic hæc debilis & manca. Ad sensum. n. perfectionem desideratur NAM.

Ex eadem Sce.

*Quem prestolare Parmeno*

An & hæc latina tibi videntur? Prestolari. n. est presto esse, & apparere, hoc est obsequi. Itaq; Datio gaudet & non accusatio. B E L. Quem habes huiusce rei authorem? B A M. Ciceronem, cuius hæc sunt verba. Qui tibi ad forum Aurelium prestolarentur: & Plau. in Epid. Atq; ego illâ illi video prestolarier.

Ex Eun. Ac. V. Sc. V.

*Scis eam hinc ciuem esse*

Et hoc membrum superfluum est, abundat. n. pronomen. In id vitij etiam Terentius incidit eodem actu Sce. III. cum inquit, Virginem quam amabat, eam confeci sine molestia, sine sumptu, sine dispendio.



## TEREN

Ex eadem Sce.

*Minatur porro se, se*

Manca locutio, ad sensum, n. perficiendum necessario sub intelligitur Facturum, Huiusmodi culpe sunt, quæ sequuntur uerba, Quod Mæchis solet) supple fieri. Ex Eun. Ac. V. Sc. III.

*Video sed nihil promoues*

Quod mentis est, Ineptissime oculis corporis Terentius attribuit. Audi ne longiore utar oratione M. Ciceronem in epistola ad Torquatum scribentem. Summa (Inquit) tamen eadem est, quem ego tam uideo animo, quam in ea quæ oculis cernimus. Miror quæ hac in parte seruium, quem Macrobius ille uir non Ineruditus grammaticum vocat honoratum, dixisse Terentium propter solam uerborum proprietatem ceteris comicis, quibus est quantum ad cetera spectat Inferior, præponi.

Ex Adel. Ac. III. Sc. V.

*Quantum potes*

Manca locutio est: desideratur, n. aut cito, aut esse: sensum cupis absolui.

Item Ac. V. Sc. VII.

*Quasi cum Iudas Tesseris*

Rectum erat si diceret. Ita uita est hominum quemadmodum Tesseris ludere, aut quemadmodum ludus est Tesserarum. Quid item illo durius in eadem Comedia Ac. V. Sc. III. Quis nam à me pepulit tam grauius fores, hoc est meas fores. Quid

## TIANVS.

item in eadem Comedia exclamatione illa tragica tumidius, insolentiusue? ó celum, ó Terra, ó Maria Neptuni. BEL. Quid censces de comedia illa cui titulus est Eautontimorumenos. B A M. Reliquis est Insipidior, & ut uno te uerbo absoluam sine uenere. Iccirco donatus eam ceu alga proiecta uiliorem, & inruditam magis reliquit Intactam.

Ex Eautontimor. Ac. I. Sc. I.

*Tute illorum officia fungere*

Nonne hoc contra grammaticorum canones? Quid hoc in eadem Comedia fingi potest Inuenustus. Quem minus credere est) pro non credendum est. Huiusmodi locutionis genus latinis est usui parum. Quid item antiquius illo in eadem Comedia Ac. I. Sc. III. Hoc ipsa in Itinere alteræ dum narrat, Forte audiui. Huiusmodi Calumniæ illud est cum superiore, quod in Adel. legitur Ac. V. Sc. III. Mea, quæ preter spem euenere, utantur sine.

Hæc ubi dixisset Bampbius adolescentes exclamare ceperunt. Crucifige, crucifige. Tunc Pomeranus ad eos conuersus dixit. Quid mali fecit? Tunc magis exclamabant Turbæ. Si hunc dimittes non eris amicus Cæsaris. Quicumque n. uersatur in Galia, contradicit Cæsari. Hæc cum dixis-

## TEREN

sent lapides suscipientes cōjciebant in eū.  
 At illi clausa statim Taberna/perfosso pa-  
 riete/et mutatis vestibus apud Hospitem  
 M. Antonij Leontij Veterem delituerunt  
 Cū advesperasceret Terentius inde di-  
 scedens ad Flauium Vopiscum contendit.  
 Ibiq; cum altius de via Inclamasset, tan-  
 dem Vopiscus accessit. Cui cū dixisset  
 sum Terentius. respondit ille Nescio te.  
 Hac spe destitutus Terentius, quò se reci-  
 peret, Ignorabat. Sciebat. n. Ferè omnium  
 cōuersa esse in se odia. Cū tam ancipiti pre-  
 meretur articulo, et sentiret percussorū  
 eum querentium appropinquantem ma-  
 num in Cenobium Diuæ Scalę Canonico-  
 rum raptim aufugit apud P. Bonauentu-  
 ram Castillionēum. Verū cum ibi sacro-  
 rum Theologorum multitudinem Inuenis-  
 set. Qui

## TIANVS.

set, Qui esset, non est omnibus ausus profē-  
 teri. Ceterum cū ibi Plautum offendis-  
 set, aliquantulum est merore leuatus. Pau-  
 lō post audiens pyladistarum in se fremen-  
 tem turbam Coloniam mutare coactus ē.  
 Itaq; in salutato, ne cognosci posset, discessit  
 hospite. Iam quarta vigilia noctis ageba-  
 tur: cū Terentius Tenebrarum benefi-  
 cio vsus ad Andream Robertum Iuriscō-  
 sultum, à quo ex animo diligi solebat, per-  
 uenit. At ibi Monachorum et nonnullorū  
 sacerdotum, quę in eum iam diu conspira-  
 uerat, deprehēsa multitudine, Fugam aliò  
 adornare cogitur. Itaq; lassus per medios  
 tumultus in cedens in hortos Hieronymi  
 Calchi viri honestissimi extra urbē per-  
 uenit. Inde Curiam pictam per cōpendia  
 viarum contendens à Hieronymo Burro

## TEREN

Iuene elegantissimo humanissime hospita-  
tus est: et liberaliter sub ortu solis datis  
comitibus dimissus est. Vbi illuxisset trās  
fretato Ticino ad Forum Lebetiorum con-  
cessit. Pagus est in extremo Nouariensis  
agri Margine Inter meridiem, et occiden-  
tem Iuxta Albuneam torrentem situs a-  
menitate aeris/et præcipua vini prestan-  
tia celeberrimus. Illic quod incolæ drape-  
ta essent, hoc est nullius seclæ, ad recipien-  
das vires triduum desedit. Inde oram sol-  
uens per Coctias alpes, mox per Iulium  
saltum in Tricastinos populos transiuit.  
Lugdunum tandem ad Sebastianum Gry-  
phium sui studiosissimum peruenit Incolu-  
mis. Quibus priuilegijs/qua munificentia  
qua vultus alacritate à Francisco Vales-  
sio Gallorum trans alpinorum Rege Cbri

## TIANVS,

stianissimo/potentissimòq; Fuerit excep-  
tus, cum id in ore sit omnium non attinet  
dicere. Interea Mediolani armata plebs  
per vicos discurrere/ac si pro menibus  
hostis adesset, vigilias agere/ Terentium  
querere Idem In Terentianos molliri. Ex-  
tortū quin etiam est à Paulo Episcopo Re-  
giensi diploma/ quo Cauebatur, vt Inter-  
dicti essent aqua, et Igni/quicumq; Tereti-  
um/aut Terentianos hospitarentur: vel  
re aliqua/aut consilio iuuissent. Tumul-  
tus augebat. Presbiter BARTHOLO-  
MEVS Moiranus/qui pro rostris stans  
in hæc verba prorupit.  
Viri Galilei audite me, vos nescitis quic-  
quam. Ego plures provincias peragraui;  
quam vos aut audistis/aut legistis. Ego re-  
gionem omnem Bivesiorum/et pcediorum

## TEREN

inde à pueritia perlustravi, Nusquam ta-  
men, pace hoc vestra mihi liceat dicere;  
tot discordiarum semina, quot hac in vr-  
be conspexi. Quid sit in Causa, si uos igno-  
ratis, ego dicam. Terentius affer, qui sex  
Comedias uix digessit, homo seditiosus sem-  
per fuit: et hac in Rep. litteraria primas  
arripere conabatur. Sed quid ego primas  
dixi? Immo regiam tyrannidem affecta-  
bat impius. Habebatq; huiusce facinoris In-  
terpretes nonnullos / et fautores re / et uer-  
bo paratissimos. Sed D.O.M. et Ambrosio  
Bamphio gratia sunt agenda. Coniuratio  
n. illa nefaria patefacta est / et dissoluta.  
Abiere, excessere, aufugere Impij. Res nunc  
est in vado, Inciderunt in foveam quam  
fecerunt ut inquit psalmista. Nulla vn-  
quam (si quicquam mihi creditis) regio, que

## TIANVS.

hunc Barbarum recepit, paccata fuit. Te-  
stes sunt tot disiectæ vrbes / tot prostrata  
oppida, tot vici igne consumpti. Eum vos  
dementes recepistis, quem affrica patria  
non sustinet sua. Longè satius Pedamonta-  
ni / Salassi / Liguës / Agones / Libetij / re-  
bus suis consulere. Edicto. n. perpetuo et  
Terentium et Plautum / et illum Impen-  
dio loquacem Ciceronem ab eorum regio-  
ne exclusere. Ita ibi floret eloquentia, et  
mira cum dicendi castitas / tum sanctimo-  
nia. Ad id operis; quos habeant duces, vo-  
bis non grauabor exponere. Aesopum, quem  
Romulus nescio quis metrico numero lati-  
nis oculis legendum exhibuit, ediscunt. Mox  
Alexandrum, cui Doctrinali cognomen est,  
accipiunt. Carminibus. n. quæ ubiq; sui  
similia sunt, hoc est (ut ego Interpre-

## TEREN

tor candidis, et ad Virgilianū sonum pro-  
ximè accedentibus / amplexus est gram-  
maticen. Qui solidiori cibo Indigent. Eua  
Columbæ / Prospero Aquitanico / et Vita  
scolasticæ totis Ingenij viribus Inherent.  
Vos autem Insubres, nescio quibus furij  
acti huius classis authores parui facitis  
Plauto, Cicerone et hoc africano cōtenti.  
Hos authores gentibus illis attigisse reli-  
gio est. et nefas morte piandum. Rarò. n. ad  
bonam frugem bis ducibus perueniunt In-  
genia. Circa hos scopulos uelut Inter Sym-  
plegades eorum flaccescit virtus. Maio-  
res nostri, si quæ à patribus sanctissimis  
accepi, vera sunt / hos authores non mo-  
do attigere / sed qui essent, prorsus ignora-  
bant. Facinus vir eruditissimus Doctri-  
nalis Interpres, cuius manibus, quicunq;

## TIANVS.

hac in Rep. egregiè florent, debent; Sym-  
polites meus fuit. Is Terentium, Plautum,  
et Ciceronem tria Sterquilinia Reip.  
vocabat. Postquàm igitur paucorum con-  
scēsu eiectus ē, Terētius, nūc plurimorū  
eiectio sit auctoritate firmata: et delea-  
tur memoria illius deleatur in æternum.  
Hoc Afro quid amplius opus: homo sine re,  
sine venere / sine auctoritate. Ita me dij  
benè ament Insubres, vt illum ex animo  
semper odi. Nunc autem ei bellum indico  
perpetuū. Totus perhorrescebam cū eius  
nugas pueris conabar exponere. Emersit  
tandem patrum nostrorum memoria Py-  
lades Brixianus alius latinitatis asser-  
tor. Hic candore verborum, sententiarū  
grauitate, iunctura, ordine numero maio-  
ribus longè antecessit. Verum maiorem in

## TEREN

genij vim in libello / quod ipse carmen sco-  
lasticum appellavit, ostendit. Hinc ego, quo-  
niam, quam lectorum ingenia sustinebant  
intonat, in gratiam vestram, sum Inter-  
pretatus ere meo typis est mandatus. Hic,  
hic est ille de quo prophetatus est Ennius li-  
bro suarum prophetiarum sexto et vige-  
simo, cum numine inflatus ita cecinit.

Vnus homo nobis cunctando destruxit rem:

Hinc ego vobis comēdo, hunc in sinu gestate / ip-  
sum audite. Hæc dixisse placuit, si qui di-  
uersa sentiunt, in commune, odio / Invidia /  
auaritia et benevolentia post positis, con-  
sulant. Valetē dixi.

Hæc vbi ad impertam multitudinem in Te-  
rentium / Ciceronem / et Plautum Moira-  
nus potius euomisset, quam dixisset, mi-  
rus eū acclamantium manuq; plaudentium  
consensus est assequutus.

## TIANVS.

ita authoribus nonnullis Moiranus Dictator  
in Terentianos est declaratus. Qui Pres-  
biterum Sebastianum Sabulonem Magi-  
strum equitum assumpsit sibi. Cui Moira-  
nus Macte noua (Inquit) Virtute, Teren-  
tium, et eius sectatores / comitesq; con-  
quisitos huc adducito / Nolentes trahito:  
si se telo defenderint, aut vim quoquo mo-  
do tentauerint, occidito. Tunc Galeacius  
Mirabilis Cremonensis ad circumfusam  
multitudinem manum extendens cū vē-  
tre collatio / et oculis herbeis hæc ver-  
ba habuisse dicitur.

Nunquam si quid mihi credis amaui  
hunc hominem.

Quo nemo unquam hac in Rep. perniciosior  
fuit. Præceptores / quos habere contigit  
Cremonè Terentium vomicam / Plauti  
labem / et Ciceronem perniciem Reip. no-

## TEREN

minabant. Actumq; tunc optimè iri cum hæ pestes extinctæ fuissent. Miror ego Pont. Romanum/ ceterosq; Christianorū principes huiuscemodi monstra/ portenta q; in suis regionibus sustinuisse. Huius ætatis concionatores Lutheranorum elucubrationes detestantur: his autem authoribus/ apud quos nisi furta/ amores/ Incestus, et huiuscemodi voluptates Veneris leguntur/ parcunt humanissimè, his applaudunt, horum autoritatibus inherēt. Verum deo supplicationes sunt decernende quod virtute paucorum Terentius abiit, erupit, aufugit. Eamus igitur alacres et Terentianos istos oppugnemus. Hæc cū dixisset Ille, mirus est eū fremitus assequutus. Discursum eēt cum faculis et lapidibus ad Terentianorum domos nisi Nicola-

## TIANVS.

us Castelleoneus I. V. Consultissimus sua auctoritate Pyladistarum fregisset Impetum. Hæc dilatio Terentianis salutaris fuit collectis. n. sarcinulis in exilium abiere. Ita Terentio paucorum Iniquitate in exilium acto adimpletum est, quod predictum fuit per Virgilium prophetā dicentē:  
 Vnum pro cunctis dabitur caput.

Eiecto duce, eos etiam, qui Terentiani haberentur, pena subsequuta est: maxima. n. ac si parenticide, vel in religionem/ aut in patriam arma sumpsissent, capitis diminutione sunt dānati. In Fisci igitur tabulas sunt relati preter Academiae Iudices Iacobus Bossus Allobrogum principis à literis humanioribus: L. Annibal Cruceius: Iulianus Brixianus: quod preter ceteros Terentianissimi haberentur. Blasius Plotus;

## TEREN

et Hieronymus Bonipertus quod Galleno non contenti et Hippocrate, Terentio Seduculi inhererent. Bigardus Cornelius Terentianorum Signifer, et eorundem Andreas Calepius Tribunus è manu Pyladistarum Vicentij Portulacæ Iuuenis inter Brixianos In primis nobilis diuitijs, et virtutibus ornatissimi in libertatem liberalitate sunt asserti. Per eos forte dies Antonius Cerrutus Nouariensis mirus Horatiani numeri et Imitator, et obseruator Romæ Mediolanum concesserat: cognitusque ex sermonis elegantia Terentianus cum Pyladistarum ingruentem vim cerneret aufugit ad Franciscum Ierargum Sacerdotem/monstrataque amicitia tessera vetustæ uehementius orabat, ut donec furor ille pertransiret, apud se tuto diuertere li-

## TIANVS.

ceret. Tunc Ierargus; Amicus (Inquit) Plato/amicus Socrates/Ipsi tamen mihi amicus sum magis: satis ego sic suspectus sum cum noxa carco. Videre nunc è quid in humido fieret: sibi hæc fiunt in sicco. Tesseram porro in aliud commodius tempus reseruans alibi hospitium tibi querito. Tunc Cerrutus an ego (Inquit) Lutheri sectator? qui hæc in vrbe nusquam domicilium reperiam? An Lutheranus (Inquit Ierargus) an Erasmicanus non sies, id mea nihil refert, dummodo mihi turbas non conficias. Tunc Cerrutus illinc descendens/ quibus maximè potuit Itineribus Burgum in Ticini margine non procul ab orona contendit. Sequitur in Ambrosium Plantanidam/Antoniūque Opizonem fuisse, nisi et sacerdotalis ambos dignitas protexisset,



## TEREN

et pro eis Thomas Bottus Intercessisset. Bernardinus Plotus Ciuilis, et Pontificii Iuris doctor non incelebris cum Terentianis clades Imminentes videret, destituta/ qua Nouariensium nomine fungebatur, legatione Conini celeritate preteruectus Nouariam se recepit. Ceterum cum Terentianomastiges iam in Leuis oppida quam plurima inuasisse/ Nouariaq; ad defectio- nem spectare, omniaq; in perniciem pauco- rum temeritate labi videret, illinc disce- dens Lucedum abiit. Oppidum est Statyelo- rum ligurum clarum/et nobile, vbi fan- num est antiquissimum/et sanctissimum. Cuius in sacris ipse Vicarius est cum cen- su. VII. Mil. aureorum Inter colles Apē- nini. Hac compositis ratione rebus veterē Pyladistæ Academiam subuertunt: nouā-

## TIANVS.

q; conficiunt. Erectę sunt in ea statua cō- plures. Prima Alexandro: In cuius Basi, hæc videbatur inscriptio. ALEXAN- DRO, CUI OB SINGVLAREM ERVDITIONEM SOLI CO- GNOMEN DOCTRINALI FV- IT PVB. AERE GRAMMATI- COR. ORDO D.

*Secunda Pyladi Huius Tituli.*

PYLADI BVCCARDO GRAM- MATICES REPARATORI OPT. MERITO PVERORVM TVRBA F. C.

*Ad sinistram Alexandri Statua Alberti Bossij Stabat.*

EXTINCTA TERENTII MEMO- RIA AVREVS ESTO.

*E regione Alexandri Stabat Baldus manu te-*

## TEREN

*uens maginem grammatices in cuius Sty  
lobate hæc fuerant Insculpta carmina.*

Me legat antiquas qui vult proferre loquellas:

Qui me non sequitur, vult sine lege loqui.

**D**Um hæc Mediolani agerentur Terentius cum vi-  
deret Rhuscenonè in Salyis à Gallis obsessum, Le-  
giones Italorum veterum suppleri, Belgas excursu-  
sionibus vastari, statuit ne grauis esset hospitibus  
in Italiam redire futurum, quod erat verissimum,  
arbitratus vt ab Italis reciperetur. Presertim Brixie  
Venetiis, Mantue, Neapoli, Romè, Bononiè,  
& Florentiè, vbi in nulla authoritate sunt Pyladistæ,  
locum sibi tutū fore putabat. Hæc cogitanti su-  
bitò nunciatur nouum in Cisalpina Gallia bellum  
exarsisse. Acenomanis Bigardo Cornelio, & An-  
drea Calepio ducibus Teretianomastigas eiectos,  
In Insubribus à Bartholomæo Draghetto, & Iuliano  
Brixiano seditionibus agitari: Comi eisdem nō  
esse locum, propter Benedictum Iouium cōsuma-  
tæ eruditionis virum. His igitur rumoribus satis cō-  
stantibus accitus mentito habitu per graias, penni-  
nasq; alpes in Lebetios descendit. Cæterum cum  
Vercellis propter Cæs. militum copiam in diuerso  
rio ei non esset locus nocte urgente ad eius vrbis  
Gymnasiarcam se contulit. Atq; in ipsis (vt fit) epu-  
lis inquit Terentius, Dic Hospes humanissime an  
Novariam iter sit tutū? An nescis (Inquit hospes)  
passim vias esse plenas obsessoris? Ultra sessitem  
Castra sunt Mariana, que sunt referta sicariis,  
sic Castra algida, sic castra Legionum, sic castra

Volo.

## TIANVS.

Volonum. Hæc porrò sunt agri Nouariensis oppi-  
da vetustissima. Sed huiusce rei breuiter à me Caul-  
fas accipe. Anno superiore Terentius quidam (Ita  
me dii ament) vt illum non cognosco, at vt audio  
planè planus, & merus Sycophanta Mediolano pu-  
blico proclamate est eiectus. eius opera Afino im-  
posita publicè combusta: Diu boni que nobis tunc  
illuxit dies? que mutæ congratulationes? que læ-  
ticia. Verū, en quomodo mutatis rebus, aliquo tē-  
pore post bello confecto renouatum bellum geri-  
mus non stulticia nostra, Sed Zenardi Fornicili,  
Friderici Cribelli, & Iortensii Landi temeritate.  
Qui Teretii nomē succlamātes in grauissimas nos  
Calamitates coniecere. Hæc cum Gymnasiarca il-  
le dixisset conticuit, mox urgente nocte ad quietē  
secessere. Summo mane vbi exundi ab Vrbe est  
potestas data salutato verbis humanissimis hospi-  
te Terentius ad dextram deflectens Tridinum pe-  
tiit, Inde Lucedum, quod ibi Terentianorum exu-  
lum cohortes esse Intellexisset Quā, humanissimè,  
liberalissimeque fuerit à Bernardino Ploto, & si  
essem voce stentorea, non essem tamen dicendo.  
Ibi componendis consultandisque rebus octo die-  
bus consumptis nunciatum est sed sine capite, sine  
authore, rumore, nuncio Pyladistarum presidium  
in Lebuis Iugi Nouariensium Ciuium defectione  
territum Bugellam abiisse: eorum partem In Ago-  
nes, qui Nouariensium extremi ad septentrionem  
vallē per quam in verbanum Athiso dilabitur, co-  
lunt. Derelicto igitur Lucedo nullis vetantibus,

F

## TEREN

quò commodius copias traducerent, Padum ponte coniungunt Ferè sub ostiis Scffitis. Cùm ordinatim per agrum Lacmellinum procederent, inquit Terentius. Dic Plote, omnium, quos ipse expertus sim, liberalissime, quæ nam fuerit prioribus seculis Nouariensium Fortuna publica? ne silentes nos si somnus obrepens Inualerit, equis decidanus. Tunc Plotus, quando (Inquit) hoc cupere te video patriæ meæ statum libens exponam. Sublata per eam, quæ inter Italos contra Imperatoris vim & arma contracta est, Societatem Friderici Aeno barbi Tyrannide, Fuere olim Tornielli in Nouariensibus Inter Ciues suos & autoritate citra controuersiam principes, & potestate penè regia, Beneuolentia autem populi & Ciuium rectores. Deuentum est tandem per nonnulla annorum curricula ad Calcinum & Robaldonum Torniellos, erant per ea tempora huiuscemodi, quæ modo ludibria sunt, paucis cõcessa pronomina. Calcinum, vt Priuilegia Cæsarea decantant, Vicariatus titulo Cæsar ornauit: cùm hic ergo Nouariensibus preesset nomine Cæsaris Vergani castrum condidit. Per eam tempestatem Mulierem ex Torniellis Vxorem duxisse Regem Pannonium Cronica demonstrant: & Calcinum cum Vicecomitibus qui rerum apud Insubres potiebantur, fœdera percussisse. Cùm annus à Christo nato ultra Millefimũ & Trecentessimũ Tertius & trigessimus ageretur Azone, Marco, & Luchino Fratibus extinctis Ioannes Vicecomes & Mediolanensium, & Nouari

## TIANVS,

ensium Sacrorum antistes ruptis fœderibus & affinitatis vinculo Calcinum Torniellum Cæsaris Vicarium auito exturbat Imperio, & cum eo maiores meos, Bonipertos, Varrones, Nibias, hec nomen tantum, quòd Torniellis essent affinitate coniuncti. Anno aut, MCCCCLVI. Opecinus Torniellus Robaldoni Filius Ioannis Montisferacis Marchionis fauore, & opibus adiutus Nouaria Vicecomes expellit, cùm Galeacium Bernabouis Fratrem in pago, cui Romanæ mansioni, nunc Romantino nomen est non procul à Ticino acie fugasset. Tribuni Militum Marchionis erant Ioannes Sauus, & Marcus Plotus Nouarienses. Fuso Galeacii exercitu nullis obstaculis vrbe potiuntur. Sunt qui scribant vrbe ui expugnatam, & libertatini militari expositam, & ciuium priuilegia igni, aut puteo, quod adhuc in pretorio est, coniecta fuisse. Pacatis eiectione vicecomitum rebus Ioannes Marchio Calcino dominum vrbis restituere nolens causas subnectere, noua crimina adducere, noua moliri. Ceterum cum Torniellorum potentiam formidolosam cerneret, Calcino Castrum Vergani, Casolinum, quod nunc est Casiolum, Burgum manerium non procul à Curia regia, quod nunc Quiregium vocant iuxta Agoniam fluium restituit. His peractis Marchio in reliquos patritios tyrannidem exercuit Benedicto Catio, Gulielmo Poto Iurisperito, Nigro Bilioto, Orighino Gritta, & Martino Martio relegatis. Mox non modo à Ciuibus, & populis, sed & à Clero fidei sacramentum susce

## TEREN

pit: suburbium diue Virginis, quo tutior esset à Vicecomitum, quibus erat inuisus, mœnibus cinxit. Deinde ad componendos vrbis Magistratus animum adiecit, Decuriones qui rebus publicis tractandis in duas diuisit factiones Gibellinarum vnam, Guelphorum alteram nominauit. illius decuriones fuere Bartholomeus Catus Brionæ regulus, Romagnolus Tornellus: Franciscus Plotus: Philipponus Tornellus: Benedictus Plotus Iurisconsultus & miles: Gulhelmus Varro: Thomas Portus: Gaudentius Nibia. & Petrus è Leonardis. Huius autem decuriones mandato eiusdem Marchionis extitere Melchio Bonipertus Georgius Martius, Iacobus Brusatus: Ioannes Prima, Antonius Bonipertus, Philippus Zaphera, Iulius Aduocatus, Ioannes Abundius & alii vsq; ad numerum tricennarium. Summa porrò decurionum, quibus Resp. commissa fuerat fuit, LX. Horum nutu Vniuersa Nouariensium Resp. Regebatur: habebatque & vitæ, & necis authoritatem. Interea Galeacius Bernabouis Frater Nouarienses excursionibus læscere. Formidine belli territare, porrò frustra omnia moliri. Restandè Caroli eius nominis quarti Anno. MCCC LVII. Authoritate cõposita est, vt Nouaria Marchio decederet, liberam Vicecomitibus urbem relinqueret: quod e vestigio factum est. Potitus vrbe Galeacius mira clementia etiam in eos, qui Marchioni in excludendis Vicecomitibus studuerant vsus est, Eos, n. & fouit, & dignitatibus illustrauit. Hæc porrò omnia, quæ à Canonibus

## TIANVS.

eis Nouariensibus publicè seruantur, Quibus Valfono nomē est, Cronica cõnent. Quæ sit nostra Ciuitas antiquissima familiæ ipsæ Porciorū, Merularum caciortū de quibus Mediolani hanc vidimus Memoriolam L. L. Quadratus V I V I R sen. Sibi & Cratæ L. & C. Cœcilio C. L. Merkatori amico & T. Catio T. L. Eroi, amico. Plotorum siue Plotiorum hoc etiam mnemosynon inspexi.

D. M.

M. PLOTIO C. F. ANN. VI. A GENTI ANIMVLAE DVLCISSIMAE, IVCVNDISSIMAEQVE INFELIX MATER POSVIT AEMILIA. Hæc inter se colloquentes ad Geminas Columnas deuenere. Sub Aurora dato tubæ signo, & premissis Impedimentis, laxisque ad dexteram relicto Vergemino Syllæueniura perueniunt. Inde in Forum Lebetiorum: vbi & ego accepto à M. Porcario, & L. Ceparo Coss. diplomate delitesceram apud Simonem Alauum eius municipii Aedituum Pyladistarum formidine. Tanta porrò erat equitum, pedumque copia, vt proximos pagos occuparet. Et gaestus intuentissimus vrgebat, in tumulo, vbi castrum munitissimi ruinae visuntur, quod ille locus esset densis arboribus opacissimus, Amenaque temperie semper vernaret, Terentius desedit. Zephyrisque molliter flantibus oblectabatur. Adfuit officii causa Christophorus Priorius eius municipii prætor, cum & ego cum cæteris municipibus aderam hominibus sanè nauis, colonis valentibus, ac Indu-

## TEREN

striis: sed remotissimis à Foro, Iudiciis controuersis. Hic Terentius dicit (Inquit) amabo, cur huic municipio Nomen sit Foro lebetiorum? Tunc Priorinus Lebetii (Inquit) populi sunt, qui à Ticino p Padum Salasses proximè iacent Inter occasum & Septemtrionem: hos Lebuos T. Lilius appellat. Horum vrbes sunt Nouaria, Vergemthum quod nunc Vigleuanum est, Vercellæ, & Hipporrhedia. Tanta autem nominum est facta Iactura, vt Samniū frustra (quod aiunt) quæramus in Samnio. Lebetiorum autem typus solus est hoc quod nos Incolimus oppidum, nobile, vetustum, & memoriolis Illustre. Vide hic ad Sinistram in hoc cemeticio pariete, qua In toto terrarum orbe nihil est festiuus, Inscriptionem.

MAXIMVS GELIVS PHOEBOLI  
BERALVMNO SVO DVLCISS.

Hic situs est cœli quondam pars maxima Phœbus  
Affectus omneis continet iste lapis.

Si commutari potuissent fila sororum

Gauderet condi Gelius hoc tumulo.

Nunc istā vide, que frequenti pedū attritu,  
non obuia est legentibus omnibus.

ISIS QVAE ES OMNIA DO TE TIBI.

**A**Gros autem habemus & natura per bonos, & cultura meliores. Cæterum cum Lebes sit vas Coquinarium, hoc oppidum Circumvicini Burgum lauzarium vocarunt non ad gentes, sed ad vasculum respicientes. Has autem quas passim vides Immenissimas moles Iuppiter disiecit, cuius fue-

## TIANVS.

rant Phaethonti iratus. Huiusce rei Indicio est populorum, aliorumque copia in memoriam dilecti Fratris adhæretum loco. Hæc cum diceret iam sol Vesulum montem transierat, & plurima nox Instabat. Redimus ergo in oppidum, quod in proximo erat plenis viis militaribus tentoriolis, & quæ per noctis obscurum Interlucebant, Lampyridibus. Interea cum Nouariè Intellectum esset In Foro Lebetiorum esse Terentium, Ciues fermè quingenti duce Ioanne Aloyfio Tornielio Vergani principe orto sole Immissis eqs & premisso Tubicine ad forum Lebetiorum contendunt. Succlamatum est, vt si quando aliàs tum ad arma. Verum vbi cognouere Ciues Inermes esse Nouarienses, qui officii causa ad Terentium accederent, ab armis est discessum. Ita humanissimè omnes a Terentio, Plotoque sunt recepti. Refectis mox lassitudine equis, antequam sexta Instaret hora discessus signa data sunt. Ita Foro Libetiorum derelicto versus Nouariam copiam iter capessunt. Mirus erat Intuētibus velutim obequitantium horror, Impedimentorumque clamor, Curruumque & instrumentorum bellicorum ordinata frequentia. Puluerea autem nubes Ita late oppleuerat omnia, vt ne arbores quidem & proximæ Turres aspici possent. Ventū est ad Turrem Beatam, ibi Io. Petrus Ciconia eques ornatissimus, quibus potuit officiis discedentes prosequutus est. Porro cum ascensu facilem ultra Euliniolum collem ascendissent, omnem effusum ab vrbe populum videbant, Tanta erat collecta multi-

## TEREN

tudo vt neutri esset facultas Incedendi. Deuentum est tandem Nouariam cum tanto Instrumentorū bellicorum boatu, vt Vniuersa regio per alpes frangeret. Mihi nihil fuit antiquius, quam urbem lustrare: & memoriolas decerpere. In templo Diui Gaudentii hanc Inspexi.

V.

F.

APPIA P. LIBER  
FAVENTINA SIBI  
ET P. VALERIONILO  
MARITO SVO VI. VIR  
ET AVGVSTAE. I. ET P.  
APPIONIGRINO  
FAVORI HERMIONE  
HELPIDI CALE  
IVCVNDAE IVCVNDINE  
LIBERTIS SVIS  
ET C. ATTILIO PROSDOCIMO  
ET LITANIAE SECVNDAE  
*In sinistra Ingressi. Diui Quirici tem.*

## TIANVS:

*plum hæc occurrit Inscriptio*

GENIO T. ATTILII VIBIANI  
NICLARVS LIB.

**C**Um ibi aliquot dies gratulationibus mutuis Terentiani consumpsissent, visum est, quæ secundum sunt Ticini fluminis decursum, ne qua fieret à Pyladis stis irruptio, Tribunis oppida munire presidis. Ita Eulegium, Blanciacum, Sunium, Curiam regiã, Galliatum, Tricastrum, Castra Hannibalis, quod nunc Cassolum vocant, Vespolatum, Vergemianum, & Geminalcolumnas, immisso presidio, & validis muniunt ageribus. Ita annus à partu Virgineo secundus & quadragesimus post millesimū & quingentesimum trāfactus est. Qui subsequutus est Nuptiis Inter Ioannem Baptistam Plotum Iurisconsultum, & Angelam Torniellam Illustris Ioannis Aloysii Tornielli Filiam celeberris fuit Nuptias exornarunt summi optimatum ex Cermanis, & Orobis. Aderat quin etiam cum Isabella Boscheta elegantissima coniuge Comes Philippus Torniellus fide, & Victoris prestans. Cuius labor in negociis, fortitudo in periculis, Industria in agendo, celeritas in conficiendo, & consilium in prouidendo plusquam diuinum semper fuit. Huic igitur pannoniam prouinciam contra Imminentes nostris ceruicibus Turcas Carolus. V. huius nominis Imperator semper Inuictissimus Iniunxerat, Aderat & Ioannes Petrus Ciconia

## TEREN

Turris beatæ princeps, & eques splendidissimus. Mamphredus Tornellus huic Inhærebat lectissimè ingenii adolescens. Ioannes Baptista Caciatus prætor Nouariensis mole negotiorum oppressus, licet Inuitatus adesse non potuit. Cuius tanta vis est & autoritas dicendi, vt tametsi loquatur ex tempore, propriam tamen, compositam, & ornatum, & artificio quodam, & expolitione distinctam affert orationem. In Iudiciis verò Ita se habet modestè, vt videas misericordiam, & clementiam non discrepantem à grauitate Iudiciorum. Ornabat & has epulas Hieronymus Casatus natalium nobilitate, & diuitiis conspicuus. Tandem progreditur comitantibus Angela multis Flagrantes per fusa genas, cui plurimus ignem subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit. Indum sanguineo veluti violauerit Ostro Si quis ebur, vel mixta rubent vbi lilia multa Alba rosa, taleis virgo dabat ore Colores. Matronarum conspicuus fuerat ordo, mira procerum maiestas, tanta porrò fuerat famulorum discreta frequentia, vt singularem singula adferrent admirationem, Nihil tamen adeque fuit admirabilius ipsa sponsa ad diuinitatem propè accedente. Holoferici, Obriziq; pulcherrimum splendorem natiuus Angelæ sponse color Infuscabat. Singularis erat & Ambrosia in Floridulo, roseoque ore modestia. Ex oculis autem, qui ad reuerentiam spectatores alliciebat, Virgineus pudor emicabat. Quò, quò tandem te verteres, nisi charites ipsissimas vidisses. Poculena

## TIANVS.

torum verò & Esculentorum tanta fuit affluentia, vt vnquam simile nihil, aut aspexerim, aut legerim, Tantæ ergo pompæ potius ego spectator fui, quàm conuiuia. Confecto prandio, in quo singula hominum opinionem superabant Carolus ex nobilissima apud Nouarienses familia Portigerorum Et Sacrorum prepositus luculenta oratione conuiuius gratias egit. Hymeneum cecinit Ioannes Baptista Catus legum interpres fidissimus, & disertissimus. Plotum porrò Carolus portiger ab ouo (quòd aiunt) originem Ita deflexit, vt ante lunam orti mihi viderentur. Dii boni nunquam Plautum poetam Comicum ex Plotis fuisse credidissim, & Plotum Initio dictum fuisse. Mox L. Plotium summum Cicerone adolescente Rhetorem quem certatim Quintilianus, Diuus Hieronymus & ipse Cicero in defessis Laudibus commendarunt, adduxit. Huic Plotium Poetam facundissimum Virgilii, Varii, Horatii, & Mecænatis comitem adiecit: His Floratii versibus adductis ex . V . Sermonum satyra.

Postera lux oritur multò gratissima: namq;  
Plotius, & Varius, sinuisse Virgiliusque  
Occurrunt: animæ quales, neq; candidiores  
Terra tulit: neq; quis me sit deuinctior alter.  
O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt.

C. Etiam Plancum Lugduni (vt aliqui volunt) conditorum Galliæ Brachatæ Rectorem Plotum fuisse à pedum planicie dictum longa, faciliq; oratione disputauit. Addidit & Plotinam Traiani Imp. vxorem pulcherrimam, pudicissimamq;. His non con

## TEREN

tentus Portiger Plotum Philosophum ethnicū  
 ex familia Platonis in scenam traxit. Ili uir erudi-  
 tissimus adiecit Opizonem Plotum de Briona: qui  
 cum Interurbes Longobardicas & Fridencū eius  
 nominis primum fēdera ferrentur: Nouariensium  
 legatus fuit. Id apertissimē autentica decantant: in  
 quibus, fatebatur familiæ ploticæ nomen subice-  
 ri: at id facile, quæ Nouariē uetustissima Cæsaris  
 eiuſdem diplomata leguntur, ostendi. Illa mox re-  
 linquens tempora ad Ioannem Plotum Episcopū  
 Nouariensem peruenit virum In sacris sanctissimū  
 in Repub. diligentissimū, In fide constantissimū,  
 In verbis modestissimum, in opere feruentissimū,  
 Tornielloſ autem ita celebrauit ut proauorum,  
 Atauorumque Calcini Tornielli ante tempora Vi-  
 cecomitum nomina Intellexerim, mox ita per ata-  
 tes Torniellorum exilia, Victorias, & partos triū-  
 phos enarrauit, ut non enarrasse, sed ob oculos  
 proposuisse mihi videretur. Qui fuerint Mediolani  
 prætores ex Torniellis elegantissimē disseruit. Ad-  
 duxit ad hoc negocium In Buleuterio veteri genti-  
 licia Torniellorum stemmata depicta: Nouissimē  
 ad Ioannem Aloysium Angelæ Torniellæ sponsæ  
 parentem eloquii sui vella deflexit: His cum fi-  
 nem Portiger imposuisset, tantus eum clamor est  
 subsequutus ut etiam vicinæ plausu domus obstre-  
 perēt. Compositis in leuis rebus duces Terentia-  
 norum aperiente se vere copias ultra Ticinum du-  
 cunt, & cum Binis castrametati fuissent intelligūt  
 Pyladistas & reliquos Terentianomastigas in Vro

## TIANVS.

be Bartholomeo Draghetto Authore seditionibus  
 agitant, timore, & formidine repletos. Erat Dra-  
 ghetus amēno, & facili ingenio, Facundia autem  
 tanta, ut quod vellet, auditores alliceret: Ilic reli-  
 ctis, quæ vocant humanitatis, studiis in Iustmani  
 Imp. castra se receperat: bellissimēq; in eis versaba-  
 tur. sed per tempora Pyladistarum ab his maximē  
 agitabatur. Aliquando huic ad Lauacrum Ierucu-  
 lei tumultus excitanti forte negocium faceſſerūt  
 nisi scolasticorum qui iuri Ciuili operam nauabāt  
 Alexandro Tonso, Iacobo Albucio, & P. Anto-  
 nio Vicedomino Iuuenibus genere amplissimo,  
 consilio diuino, ac singulari virtute ornatissimis du-  
 cibus densata cohors Irruentium andabatarū mo-  
 re Pyladistarum impetus fregisset. Ili ergo cum In-  
 tra domesticos parietes, & foris agitarentur, au-  
 thoritatem componendæ litis Ioanni Baptistæ Ca-  
 stano Iuriconsulto ornatissimo concessere. Teren-  
 tianis autem rem per Ioannem Baptistam Plotum  
 Iuris peritum celeberrimum prætorisque Nouariē-  
 sis Vicarium trāſſigi placuit. Ad turrim igitur Im-  
 peratoris nō pculā balineo Ierculeiano cū Ca-  
 stanus accessisset, Paulo post & Illuc Plotus, quē  
 Velitum ala comitabatur, petiit. Ili ergo descen-  
 tes sub stylobate his litteris insculpto I REBIA  
 C.F. FILVMENA SIBI ET L. TIV-  
 CIO MERVLAE. VI. VIR. III. VIR.  
 IIII. VIR TESTAMENTO FIERI  
 IVSSIT ubi diu cōsultassent: tādē in hæc uer-  
 ba per precones proruperunt.



## TEREN

QVOD FAVSTVM, FOELIXQVE SI  
ET ARIS, FOCIS, NOBIS, LI-  
BERISQVE NOSTRIS.

**P**yladistis, Alexandreis, Collamontanis, Guarinēsi-  
bus, Baldanis, & Bossianis cum familia, supellecti-  
le sine noxa abire liceat incolumibus, Pyladistæ ru-  
ra, pagos, quæ sunt a Sessite ad alpes per Apenni-  
num liberè possidunt. Alexandrei orobiorum col-  
les & loca proximè Abdiam ultra & Citra haben-  
to. Guarinēsisbus, Baldanisque Agonum Iuga da-  
ta sunt. Bossiani Bustum, Gallaratum, & omnè  
secundum Ticinum plagam tenunt. Collamon-  
tani statyellorum Lucedo excepto mōtes, & Ana-  
nium Gallorum pagos habitant. Terentiani ur-  
bes Italicas colunt, hoc porrò decreto, quod am-  
barum partium autoritate facimus, statuimus,  
ordinamus, vobis malis abesto. Hæc ubi Castanus  
& Ioannes Baptista Plotus Nouariensis sanxissent  
Pyladistæ collectis sarcinulis in suas præfecturas  
mutato solo discessere, Ita per urbes recepti sunt Te-  
rentiani, ipse autem Terentius comitantibus Ciui-  
bus, & denso armati populi globo apud Ennium  
protonotarium Riccium Optimæ spei et singula-  
ris eruditionis Adolescentem in hospitium concessit  
Acta Donato Tornello, Paulo Gallarato, Fran-  
cisco Ploto, & Martino Catio Nouariensis Reip.  
Coss. M. D. XLIII. KL. VILIS.

Terentianomastigeis Nosomaticam Felici-  
tatem. Barth. Draghetus, D. P.

Anginæ, scabies mala, atq; lepra

Tonsillæ, Hercules, sacerue morbus

## TIANVS.

Vertigo, Pituita, vel Mariscæ,  
Cancer, profluuium, atq; perniones,  
Hydrops, pleuritis, lèteros, Podagra,  
Gangrena, ac Elephantia, atra bilis,  
Ficus, arterium, lupæ voraces,  
Morbus gallicus, angor illorum,  
Termes, Polypus, orbitas, luesque  
Serpant artibus omnium: Terenti  
Anus siquibus iste displicebit.

Heus Lector, quisquis es, humanissime,  
Barth. Draghetus te paucis admonet.

**N**on deerunt obliquato capite Cerastræ, Tenebrio-  
nes, Lauerniones, alienarum vigiliarum hamo-  
tæ, Umbratiles grammaticæ, ac planè illiterati  
nebulones, qui suis ostracismis Terentiano non-  
nulla dissona, refractaria, repugnantia, reiecta-  
nea, malè assuta, malè ferruminata, Lucernâ nō  
olentia, nec prorsa, nec vorfa, Anaura, excuriata,  
nata in Culina, exossa, euirata, ac ampullata obi-  
ciēt: ac in Merulâ tanq̄ Myopē, Andabatâ, & Ari-  
maspum petulantius insurgent. Scito itaq; cādide,  
& Ingeniate lector Terentianū nō formucino, te-  
studineoue: Sed dum Io. Baptistæ Ploto Mecænatī  
obdormit suo, gallatoro, & tumultuario Infor-  
matū calamo. Et Merulæ id consiliū fuisse non Ar-  
gi oculatissimi, aut Tricoelis Varroniani: Sed Si-  
resfæ cæcutientis consultò personā Induisse. Quò-  
tipulis & Hemerobiis, & non nullis malè feriatis  
grammaticonibus Anagyrum, Thymeleâ, & So-  
lanū manicū propinaret edendū. Et preterea patē-

TERENTIANVS.

torum blaterandi, latrādi, grumiendi, garrīdi,  
vel vt signātius loquar Infādi anſam Suggere  
ret. Hoc ē ſolū, cuius neſciū te cē nolebā Bene vale  
ſi tñ hunc dialogū amico, defecatoque aīo legiſti.

Antonius Cerrutus Archipreſbiter Nouarien  
ſis Cōſultiſſimo IV. V. Io. Baptiſtæ Ploto.

○ Tutor Antri Pieridum Plote  
Scriptique Iuris candide, & Integer  
Interpres, Auri quem cupido  
Nulla mouet, neq; praua Reges  
Terrent lubentes, Nobilitas tua  
Voces canoro dum Merulæ elicit  
Ore, & parauit ocium illi  
Perpetuos ſibi agit triumphos,  
Quales tenemur nos tibi reddere  
Grates, tenemur & Merulæ optimo,  
Terentiani huius libelli  
Lector agat, referat, loquatur,  
Dicta hic leguntur ante recondita,  
Ioci, & lepores, facetiæ, & ſales,  
Nunc ore conſurgit locoſo,  
Nunc quoq; dente petit rapaci,  
Furit proteruus dum procyon, trucis  
Et dum leonis ſydus amat dies  
Siccus umbroſa, In relicto  
Valle iugo lateret & Iuuenus,  
Faſtidiola mitte clientulum  
Turbam, & globōſis te eripe legibus,  
Horasque falle ſtatis igneæ,  
Iloc lepido, hocque nouo libello,  
In Forolebetiorū typis cōmittebat Betaceus Tortelius.

5  
QVOTIDI  
ANI SERMONIS  
formulæ commu  
niores.

EX ERASMI COL  
LOQUIIS, TVM ALIIS IN  
puerorum uſum de  
cerptæ.



FRANCOFORDIÆ AD ODE  
RAM IN OFFICINA  
Iohannis Eichorni.